ΠΑΝ
ΟΝΚΑΙ
ΠΟΙΕΙ

ΓΡΑΜΜΑ ΚΥΛΙΝΔΕΙΤΑΙ ΔΥΣΜΟΡΟΝ ΟΥΖΕΝΙ ΤΟΥΤΩΝ ΟΥΔΕΝΟΣ

ΗΣΟΦΙΑΣ ΡΗΓΗ ΕΝ ΒΙΒΛΙΟΙΣΙ ΚΕΙΤΑΙ
ASIA
AFRICA
EVROPA
AMERIC

ΠΑΝ
ΟΝΚΑΙ
ΠΟΙΕΙ

ΓΡΑΜΜΑ ΚΥΛΙΝΔΕΙΤΑΙ ΔΥΣΜΟΡΟΝ ΟΥΖΕΝΙ ΤΟΥΤΩΝ ΟΥΔΕΝΟΣ

ΗΣΟΦΙΑΣ ΡΗΓΗ ΕΝ ΒΙΒΛΙΟΙΣΙ ΚΕΙΤΑΙ
ASIA
AFRICA
EVROPA
AMERIC

S·DECOLINES

HISTORIA TYPOGRAPHORUM

Aliquot

PARISIENSIUM VITAS

ET

LIBROS

COMPLECTENS.

Βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ κραδίῃ τ' αἰχμητῇ.

LONDINI:

Apud CHRISTOPHORUM BATEMAN, ipsius impensis:
Typis GULIELMI BOWYER. MDCCXVII.

CELSISSIMO
AC
REGIO PRINCIPI
PHILIPPO,
Aurelianorum Duci,
GALLIÆ REGENTI,

S. D.

MICHAEL MAITTAIRE.

INTER complura laudum, quibus Gallia meritò celebratur, incrementa, neſcio, an non primaria aut in primariis ducenda ſint ea, quæ à literis accepit. Illa Muſas olim exules, non ſolùm ex Græciâ ſuarum fortunarum

antiquâ ſede, verùm & totâ ferè Europâ per tyrannidem & barbariem pulſas, honeſto hoſpitio invitavit; vetuítque ſui Parnaſſi diſtantiam dolere. Illa liberales diſciplinas vidit obſtetricante Arte Typographicâ ſub Ludovico XI renatas; ſub Franciſco I literatorum parente, Franciſco II. Carolo IX. Henrico IV. Ludovico XIII. typographiæ ejuſdem & typographorum doctiſſimorum ope diligenter educatas & adultas: demum ſub Ludovico XIV ad id perfectionis culmen, ævo vel Auguſtæo invidendum, mirâ ipſius magnificentiâ typographeo Luparenſis Regiæ inſtituto perductas; ut non injuriâ dubitaretur, quò poſſent altiùs eniti. Luctuoſus autem illius Monarchæ nunquam ſatìs memorandi obitus, poſt diuturnum felíxque (quale pauciſſimis regibus contingere ſolet) imperium penè vitæ ipſius coævum, literis, quæ ab ejus auſpiciis vires validas collegerant, fatale quoddam periculum portendere videbatur. Hôc, quod literis impendens metuebamus, periculo patriam liberâſti, Princeps Illustrissime: juſſiſtíque eam operam, eos ſumptus,

ſumptus, quos Tui Majores in commune literarum commodum inſumpſerant, non interire.

Tu dignus es Hercules inventus, qui Gallici orbis Atlanti, laboribus non (ſicut fabuloſus iſte) feſſo ſed functo, ſuccederes; quem Heros ille relinqueret imperii Conſervatorem; cujus tutelæ Ludovicus XV rari & inſoliti in tam teneris annis animi Princeps, avitæ fortunæ hæres, regníque poſt tot clades Regiæ ſtirpis funeſtiſſimas ſpes proxima, & quaſi ſalutare poſt lugubria naufragia affulgens Sydus, concrederetur.

Ludovicus Magnus unus inter repetitas Auguſtæ ſuæ Domûs ruinas impavidus, nunquámque major, quàm cùm totâ in ſe deſæviente fortunâ ſtetit immotus, in extremo ſuæ vitæ actu noluit ſe minor videri. Sed morte jam appetente, ſui uſque ſimilis & tranquillus, chariſſimum, quod ulnis deficientibus amplectebatur, pignus in Tuam depoſuit fidem: cúmque generis humani legibus concedendum eſſe ſibi ſentiret, curavit certè, ne totus moreretur; in tali,

qui

qui Ipſum ore toto referret, ad Ipſius Tuúmque, DUX CELSISSIME, exemplum Tuo pollice formandus, Nepote Ipſe quaſi redivivus & ſibi ſuperſtes.

NON eſt minor gloria tueri parta, quàm quærere. Hanc conſecutus fuit Ludovicus XIV. Illam Numen Tibi reſervaverat. Quantos progreſſus ſub tam auguſtis patrociniis fecit apud Gallos univerſa res literaria, verbis uberiori & ſublimiori materiæ non ſufficientibus miramur taciti: quantos adhuc in dies faciet, ſpes omnis brevior eſt, quàm ut metiri valeat; dúmque ex præteritis ac præſentibus futura ſtudemus æſtimare, animus ipſo cogitationis niſu obrutus obſtupeſcit.

REGIA Academia tot ingeniorum in omni artium & ſcientiarum genere præſtantium luminibus florentiſſima pauliſper conſtiterat ad LUDOVICI (ſub cujus regno incepit & crevit) mortem, tanquam Natura ad brevem Solis defectum, animis conſternata. Te, DUX PRÆCLARISSIME, ſtatim velut cœlitus emicante & breviſſimam illam tenebrarum umbram dimovente, ſic à ſubitâ conſterna-

conſternatione ſe recollegit; ut Te exorto propemodum obliviſceretur Illum occidiſſe. Tuo nunc favore confirmata & in ſpem certiſſimam erecta, ſub digniſſimi Præſidis tot egregiis dotibus ad id neceſſariis inſtructi ductu gubernata, pergit orbi oſtendere, quid literæ poſſint præſentibus Regiæ benevolentiæ auxiliis promotæ.

Quo rapior! Ad laudes illas humilis meus non adſurgit ſtylus: nec ſatìs dignè poteſt Academia illa, quámque illi elargiris, gratia, niſi ab ipsâ & facundiſſimis ipſius Academicis laudari. Mihi liceat interim ſoli, in quo me natum fuiſſe, cujúſque amore jucundiſſimo teneri glorior, fortunis applaudere. Ne itaque illi, quod ab omnibus patria expectat, officio deeſſem; occaſionem amittere nolui, quâ intimos erga Galliam pectoris mei ſenſus expromerem, & opellam qualemcumque ei impenderem. Nullam enim magìs mihi cavi aut cavebo quàm turpem ingrati animi notam; cúmque obtigerit, ut ſolum natale verterim, non tamen committam, ut illius unquam me capiat oblivio. Mea inter Galliam Angliámque

officia

officia ita diſpertiam, utramque ita colam, ut neque hanc educâſſe hoſpitem, nec illam genuiſſe civem pœniteat; & neutra de fide à me violatâ conqueratur.

FAMILIAM Stephanorum in re typographicâ apud Gallos diu inſignium vir inter Batavos celeberrimus ſibi olim ſumpſerat epiſtolari diſſertatione explorandam. Materiam, in quâ tractandâ præiverat, amplificare; & meorum popularium vitas (in quibus deſcribendis Batavus mihi præripuerat, ut forem prior) pro infirmis viribus fuſiùs proſequi, annis jam pluribus abhinc exactis, conatus ſum.

OPUS illud, quod per publicos tumultus inter nationem utramque concitatos Ludovico XIV (cui uni literarium ſuorum Majorum famulitium vel jure hæreditario debebatur) nuncupare non licuit, patrocinii expers prodivit in lucem: neque enim æquum duxi in quemquam alium transferre, quod tanto Nomini deſtinaveram. Pace tandem auſpicatiſſimâ poſt longum atróxque bellum initâ, tempus ſe dedit opportunum, quo Tibi, PRUDENTISSIME GAL-

LIARUM

LIARUM RECTOR, exſolvam, quod Tuo immortalis memoriæ Patruo voveram; aliquódque pignus ſinceræ erga Regiam patriæ meæ Familiam fidei ſacris & humanis legibus ſancitæ, quâ decedere nemo bonus fas putat, (eo, quo par eſt, obſequio) offeram.

GALLIA literis ac literatis fœcunda in uno unius familiæ nomine ſuos præclaros non clauſit typographos; nec ſolâ artis excellentiâ ſed maximo etiam artificum numero reliquas Europæ partes ſuperavit. Aliis igitur Galliæ typographis iniquus fuiſſem, ſi eos ſilentio præterirem, qui Stephanis contemporanei, & ex iis quidam Regiorum non modò Typographorum ſed & Profeſſorum titulo ornati, inclaruerunt. Miror equidem inter tot Biographos, qui virorum variis artificiis illuſtrium memoriam literis conſignaverunt, extitiſſe neminem, qui chalcographorum illorum vitas memoriæ commendaret. Neque certè quicquam injuſtiùs comparatum puto, quàm quòd ii, per quos erudita authorum ſcripta in publicam notitiam venerunt, ipſi quoque non

innoteſcant. Huic operi hactenus intacto manus admovi; quo nihil unquam lubentiùs aggreſſus ſum, quoniam (dum in hâc arenâ me exerceo) chariſſimam ſubinde patriam reviſere, & cum meis popularibus familiariùs verſari mihi videor. Eò etiam faciliùs datum iri erranti veniam ſpero, quòd nemo hoc iter ingredienti facem prætulerit.

Egregiis his typographis id accidit infortunii, ut qui ſcriptorem optimum meruerunt, tenuiſſimum nacti nunc fuerint. Hoc tamen mali quicquid à me ortum eſt, quantumcunque ſit, ita levabo, ut mihi non tantummodo ultro ignoſcant, ſed ingentes habeant inſuper gratias. Illos enim in eam addixi clientelam, quæ plùs ſatìs compenſet, quicquid meæ ſcriptionis tenuitate & inopiâ iis deperierit; eámque à Patroni authoritate iiſdem conciliet famam, quam ab hiſtoricorum cùm recentium tum veterum graviſſimis ac diſertiſſimis fruſtra ſperaviſſent. Patrocinium ſanè illo, quod vivi quondam experiebantur, haud minus, Regium ſcilicet, ambiunt è mortuis ad vi-

tam

tam novam ſuſcitati. Ad Lares domeſticos poſtliminio reverti percupientes quis excipiat, quis foveat, non eſt dubitandum.

Ad Te, Princeps Regio Sanguine Edite, confugiunt; qui liberale hoſpitium iis jam ſpopondiſti, in quo ſuos Regios veteres recolunt & revixiſſe ſentiunt Patronos. Me quoque patere cum illis unà Tuis adnumerari clientibus, & officium, ad quod mei natales me ducunt, præſtare: Tuæ rerum Adminiſtrationi (quâ quid aliud meliùs aut triſte Ludovici XIV deſiderium lenire, aut futurum Ludovici XV regimen ſtabilire potuiſſet?) gratulari; Tuaéque vitæ, ut Adminiſtrationis feliciter peractæ fructus cum totâ gente Gallicâ, imò cum toto Orbe, diu percipias, multos annos precari.

Londini. Cal. Sept. 1717.

LECTORI S.

AMOR ille, quo ſemper in literas, literatorum quantumvìs infimus, flagravi, me jamdiu hortatus eſt, ut in artis typographicæ cum literis olim poſt craſſas longáſque miſerabilis ignorantiæ tenebras renaſcentibus feliciter natæ, quâ nihil unquam plus ad illas promovendas, has diſcutiendas attulit momenti, ortum, incrementa, cultores & patronos diligentiùs inquirerem. Stephanorum itaque in illâ arte excolendâ primariorum Hiſtoriam, pro exiguâ meâ indole operoſam magìs quàm eruditam, quoad tamen fieri licuit, fidam, [a] *abhinc ſeptennium in lucem emiſi.* [b] *Binas huic attexui appendicu-*

[a] Anno 1709. [b] P. 187. & 561.

las,

lus, in quibus breviſſima de celebribus quibuſdam typographis partim Stephanorum affinibus partim coævis facta eſt mentio: [a] *& in me tum recepi, ſi labor, quem in hos inſumpſeram, non diſplicuiſſet, etiam de illis aliquando ſcripturum. Errata, quæ in opus per meam inſcitiam plurima, aliàs etiam pauca, irrepſerant, non tamen obſtiterunt, quin labor doctis candidiſque lectoribus haud diſpliceret: & à plurimis amicè monerer, ut rem incœptam urgerem, &, quod antea promiſeram, exolverem. Fidem meam, quam religiosè ſemper colendam duxi, nec unquam adhuc datam fefelli, liberandi avidus, multa, ut ſeſe aut cogitanti aut legenti obviàm dabant, deſcripſi congeſsíque, donec tumultuaria illa collectanea in aliquem ordinem redigendi, & panniculos quaſi conſuendi locus eſſet. Otium jam, ingratum equidem, in quod me rerum civilium motus tradiderunt, nactus, id, quàm optimè poſſem, ponere & conſolari ſtatui aliquid ſcribendo, ex quo ſperarem boni nonnihil in literas redundaturum. Mea itaque ſtatim de*

[a] P. 560.

illis,

illis, quos modò dixi, typographis collectanea arripui, collegi, dispoſui; tuaéque nunc, Lector benevole, cenſuræ ſubmitto, ſperans utique eandem, quæ operi meo priori conceſſa eſt, veniam huic poſteriori non denegatum iri; quíque ea perlegerint, æquos induſtriæ, benignos erratorum æſtimatores fore. Typographorum horum hiſtoriam eodem, quo priùs Stephanorum, ordine proſequar, tomis duobus, ipſorum vitas primo, libros ſecundo proponens; ſtatímque in initio typographica, quæ editionum exemplaribus præfigere ſolebant, ſymbola oculis depicta ſubjicientur.

Errores aliquot, qui cùm paſſim dormitanti obrepſiſſent, peractam impreſſionem poſtea relegenti occurrerunt, calamo ſcalpellóque in omnibus exemplaribus ipſe expunxi, laboris minimè parcus, dummodo lector reliquos, quos deprehendet, mihi meam partim incuriam, partim inſcitiam promptè confitenti condonaverit. Quicquid in hâc editione fuerit peccatum, id à me ortum in me totum tranſlatum velim. Omni prorſus culpâ Typographum libero, optimæ fidei & induſtriæ (ut quiſquam eſt alius) hominem, qui unà

cum

cum Viro reverendo doctóque, quem operis typographicis præfecit, egregiam navavit operam, ut hoc opus pro materiæ dignitate prodiret; typographíque, quorum deſcribitur hiſtoria, ſe dignum nanciſcerentur typographum. Tales nunc dierum reſpublica literaria typographos, tales deſiderat ἐπανορθωτάς: *quibus nil deeſt, niſi, quales olim typographis Pariſienſibus contigerunt, patroni.*

TYPOGRAPHORUM

INTER

PARISIENSES

CELEBRIORUM

VITÆ.

TOMUS PRIMUS.

VITÆ

Celebriorum aliquot inter

PARISIENSES TYPOGRAPHORUM.

TYpographi, quorum hìc vitas ordior, omnes ([a] tribus exceptis) Stephanorum affines fuerunt: his itaque illos adjiciendo, videor mihi unius tantùm familiæ hiſtoriam condidiſſe; in quam tot viri eruditione inſignes, ſocietate alii per nuptias alii per commercium junctâ, coaluerunt, collectíſque viribus conſpiraverunt, ut (quoniam vita brevis, ars longa eſt) res literaria nullum ex ſingulorum morte contraheret damnum, ſed hæreditario jure & ordine ſucceſſionis perpetuo à parentibus ad filios nepotéſque deſcenderet.

Hæc domus, in quam literarii illi juxtà ac literati Artifices convenerunt, prima ſumpſit initia à digniſſimis duûmviris Jodoco Badio & Henrico Stephano; ex quorum unius filiis, alterius filiabus inita

[a] Morello, Turnebo, Bene-nato.

matrimo-

matrimonia rem Typographicam ab ineunte 15° ſæculo ad vergens uſque 16^m continuaverunt. Stephani, de quibus dixi antea, 160 annorum; alii undecim, de quibus mox dicturus ſum, Stephanis coæquales & coætanei, 126 annorum periodum expleverunt. Hi & illi, Regiorum plerique typographorum, nonnulli etiam profeſſorum interpretúmque titulis nobilitati, omnes induſtriâ & doctrinâ clari, centuriam utramque ſuis nominibus fecerunt illuſtrem. Diſſertatio proxima, quam de his undecim typographis habebo, in duas diſtribuetur partes; quarum prior ſex, poſterior quinque reliquos, utraque par propè annorum ſpatium, comprehendet.

TYPO-

TYPOGRAPHORUM

INTER

PARISIENSES

CELEBRIORUM

VITÆ:

SIMONIS COLINÆI, ADRIANI TURNEBI,
MICH. VASCOSANI, FREDER. MORELLI I^mi.,
GULIELMI MORELII, JOANNIS BENE-NATI.

TOMI PRIMI PARS PRIOR.

VITA
SIMONIS COLINÆI.

SIMON Colinæus (Gallicè, *Simon de Colines)* quot annis 15ª Centuriæ, circa cujus medium ſpatium mortuus eſt, initia anteceſſerit, aſſequi certis indiciis nondum potui. Minimè dubium eſt, quin (ut eorum temporum mos erat typographos eſſe non mediocriter eruditos) bonis Literis inſtructus fuerit, antequam ad Typographiam ſe conferret. Calamitas certè eſt apud nos maximè deploranda; quòd, quum Artes Mechanicæ ab hominibus earum ſcientiſſimis excolantur, Artibus Liberalibus inſerviant illarum rudes: quòd fabri quidem fabrilia, at illiterati literas tractent; & Typographi his excudendis ſæpe manus impuras admoveant,

moveant, quæ non poſſunt intelligere, aliquando nedum legere.

Artem hanc nobiliſſimam cœpit Colinæus exercere anno 1519; quod [a] Andreas Chevillier, vir de Typographicis rebus optimè meritus, comprobat ex *Clictovei tractatu de Regis officio in* 4to. Hujus libelli non mihi occurrit notitia, niſi quem eo anno excudit Henricus Stephanus; ubi Colinæi nomen non lego. Forſan reperiuntur quædam ſub Colinæi nomine exemplaria: neque me longè errare putaverim, ſi conjiciam eum in Henrici Stephani officinâ, utpote adminiſtrum, ante ipſius mortem tyrocinij ſui poſuiſſe fundamenta.

Huic conjecturæ haud ægrè fidem facit, quòd Henrici Stephani vidua non multò poſt conjugis obitum anno 1520°. nupſerit Colinæo, cujus ſcilicet diligentiam induſtriámque in munere typographi obeundo ſpectatam jampridem habuerat. Is itaque in [b] aliquibus libris anno 1520°. & 1521°. impreſſis ſe vocat Henrici Stephani ſucceſſorem; ut Typographi tam inſigniter noti famâ & nomine ſubnixus eruditorum gratiam faciliùs aucuparetur.

In defuncti Stephani domo [c] è regione Scholæ Decretorum uſque ad annum 1524um, poſtea [d] è regione collegii Bellovacenſis in vico S^ti^ Johannis

[a] Origine de l'imprimerie. p. 141. [b] Logica Ariſtotel. cum Fabri Stapulenſis comment. 1520. (Chevillier p. 141.) Elucidatorium Eccleſiaſtic. 1521. [c] De doctrinâ moriendi. 1520. De bello & pace. 1523. [d] Propugnacul. Eccleſiæ. 1526. Sarzoſ. in Planet. 1526. Hiſtor. Cicer. filii. 1545.

Bellova-

Bellovacenſis in ædibus ſole aureo inſignitis eum habitâſſe libri indicant.

Iiſdem typis, quibus antea Henricus Stephanus, diu uſum fuiſſe liquet ex hujus & illius librorum comparatorum accuratâ inſpectione. Alios autem multò pulchriores & Romanos & Italicos, quos nunquam Henricus Stephanus aut alius (quod ſciam) Pariſienſis typographus introduxerat, ſibi comparâſſe nemo dubitabit; qui intuebitur Ruellium de Naturâ Stirpium 1536, aliósque plurimos, quorum elegantiam nullus lector poteſt ſatis mirari. Characteres Italicos neſcio an ante annum [a] 1528 adhibuerit. His ſolis ſæpe uſus eſt, e.g. cùm Herodianum 1529, Gazam de Menſibus 1535, Serenum Samonicum 1533, Quintiliani Declamationes 1542, Poëtas pleroſq; omnes (præter Virgilium 1526 Romano charactere editum) aut libros Gallico [b] ſermone (quod rarum fuit) conſcriptos excuderet. Typus Colinæi Italicus tam minor quàm major venuſtatem habet ſibi peculiarem, quâ mihi videtur Aldum ipſum typorum illorum inventorem antecellere. Alium tamen pulchritudine inferiorem aliquando habuiſſe conſtabit conferenti Ovidij Metamorphoſes 1537, & Faſtos 1536. 8°.

Rubricas diſtinctionis causâ inſeruit libro, quem Grammatographiam appellat, anno 1533, in gratiam Magdalenes Regis Franciſci majoris natu filiæ elaborato; cujus initio legitur Colinæi ad omnes citò & facilè diſcendæ grammaticæ cupidos epiſtola.

[a] Horatius. 1528. [b] Raiſon d'Architecture antique. 4to. ſinè anno.

Inſigne

Insigne Typographicum aliquando [a] nullum, aliquando suum, aliquando commune aliorum tunc temporis Parisiensium typographorum, nonnunquam duplex, fronti librorum appositum.

Insigne sibi proprium inprimis adscivit, quo ad Gallicam appellationem *(Colines* & per metathesin literarum *Conils)* alludebat; [b] initiales scilicet sui nominis literas $_{S}{}^{D}{}_{C}$ aut binis hinc indè cuniculis cinctas, [c] aut sub arbore pendulas cum cuniculis itidem ab utroque latere duobus, & tertio sub arboris radicibus procumbente. Nec rarò suum cognomen pleniùs indicabat subscribendo, *S. de Colines.*

Sic forsan allusit Robertus Stephanus, cujus cognomen Græcè *coronam* significat; & Olivam delegit, [d] quòd Minervæ literarum patronæ galea oleaginâ coronâ circumdaretur.

Insigne aliud Colinæi familiarissimum fuit [e] Temporis alati, recalvastri & falcigeri effigies cum hôc lemmate adjecto, *Virtus sola hanc aciem retundit.* Quâ quidem figurâ & epigraphe nil excogitari potest magìs accommodatum ad Literas; quarum ope Scientiæ & Artes Virtúsque eripiuntur Temporis injuriis, & æternitati commendantur. Hoc autem Insigne mutuatus est à Calderiorum familiâ, inter quam & Colinæum interceſſit affinitas & typographicum commercium. Reginaldi enim Calderii filius Claudius erat [f] Colinæi ex filiâ nepos; &

[a] De morib. sacerdotum. 1520. [b] Virgil. 1526. [c] Galen. de affect. loc. 1520. [d] Lege Apul. Metam. lib. 10. [e] Horat. 1528. [f] Cicer. epistol. famil. 1545.

(uti

(utì poſtea notabitur) Reginaldus Calderius & Colinæus in excudendis libris operas mutuas tradiderunt: ac nihil fuit inter typographos & bibliopolas ſocios in frequentiori uſu, quàm ſua inter ſe invicem inſignia permutare; & modò hujus, modò illius inſigne libris communi ſumptu editis affigere. Sic Colinæus, cùm Johanni Roigny Badij Aſcenſii genero ſe aſſociaret, [a] Præli Aſcenſiani ſignum uſurpavit.

Aliquando Univerſitatis Pariſienſis [b] Arma (ſcutum Franciæ cum manu librum inter lilia demittente) unà cum ſuo inſigni in cådem paginâ, libris affixit. Quod ſolenne fuit illis vetuſtioribus typographis Andreæ Bocardo, Wolfgango Hopylo, Henrico Stephano, Joanni Parvo aliiſque in grati animi teſtimonium, quòd illa Univerſitas in eo regno typographiam prima ſtabilierit, educaverit, & foverit. Idcirco ſolebant in librorum editionibus ſe [c] juratos Academiæ librarios nuncupare, aut hujuſmodi verba (qualia [d] *in florentiſſimâ Pariſiorum Academiâ*, aut [e] *in celeberrimo totius terrarum orbis Pariſienſi gymnaſio)* adſcribere.

In quibuſdam libris ſcutum [f] Franciæ, aut Franciæ Delphiníque; in Concilii Senonenſis [g] Decretis, arma Senonenſis Archiepiſcopi præfixit.

[a] Alex. Aphrodiſ. in Elench. Ariſtotel. 1542. [b] Ariſtotel. Politic. 1526. [c] Lege Privileg. præfix. decretis concil. Senon. 1529. [d] Cliſtov. de bello & pace. 1523. [e] De claris mulierib. 1521. [f] Fernelij Monaloſphær. 1526. [g] 1529.

Chartâ

Chartâ utebatur purâ & ſolidâ, quâ nil ferè eſt, quod magìs oculos alliciat, & exemplaria ab injuriâ vetuſtatis vendicet. Hoc eſt, cur tantâ cum voluptate demiremur codices illos antiquiſſimos Spiræ & Vindelini, Conradi Sweynheym & Arnoldi Pannartz, ac Nicolai Jenſon nunquam ſatìs laudati; qui annis ſupra binas centurias quinquaginta adhuc ſuperſtites vincunt, quicquid noſtro hoc ævo jactamus in typographiâ pulcherrimum: neutiquam corrupti, aut quâvis ſenectutis notâ rugâve deformati, ſed primævo ſuæ impreſſionis cultu, intacto characterum nitore, intaminatâ chartâ, & integrâ marginum amplitudine ſpectabiles.

Colinæus codicum, qui ex ipſius officinâ prodibant, primam paginam figuris picturíſque ſæpe decorabat. Sic ſolent architecti anteriores ædium partes ornare; curámque adhibent, ut ſint non ſolùm commodæ & utiles, ſed & formoſæ. Hujuſmodi ornamenta non quælibet pro arbitrio accerſebat, ſed ea apprime deligebat, quibus libri argumentum explicaretur; quaéque non otioſa ſed lectoribus Mercurij vice eſſent, quidque legendum ipſis proponebatur, præmonerent. Sic [a] Clictovei de moriendi doctrinâ opuſculo appingi curavit cranium; [b] tractatibus medicis capita & figuras præclarorum veterum medicorum ſuper cadavere conſultantium; [c] veterinariis equitem equo inſidentem; [d] mathematicis geometras antiquos, ſphæras glo-

[a] 1520. [b] Galen. de morb. curand. 1530. [c] 1530. [d] Fernel. Monaloſph. 1526. Alcabit. Iſagog. 1521.

bóſque

bóſque & variam id genus ſupellectilem ; [a] de ſtirpium naturâ agentibus diverſas ſtirpium & fruticum ſpecies.

Socios quamplurimos habuit librarios typographóſque, quibuſcum ſua communicabat privilegia, quorum operâ utebatur, aut quibus ſuam commodabat. [b] Gulielmus Davouſt eodem, quo ipſe, diplomate in imprimendis concilii Senonenſis decretis fruebatur. Ipſius impenſis, [c] Cicero de Oratore & [d] Herodianus hiſtoricus & [e] Veterinarii ex officinâ Ludovici Blaublomii Gandavi ; [f] Novum Teſtamentum Latinum in officinâ Adami Saulnier ; [g] Ariſtotel. Naturalia & [h] de Primâ Philoſophiâ ex officinâ Ludovici Cyanii prodierunt. Apud ipſum & Antonium Augerellum [i] Euſebii Præparatio Evangelica, apud ipſum & Galeotum à Prato [k] Novum Teſtamentum Latinum, apud ipſum & Franciſcum Stephanum quædam [l] Terentii comœdiæ & [m] Methodus Confeſſionaria & [n] Caroli Stephani Pratum, apud ipſum & Joannem Engellier librarium Bituricenſem [o] Græcæ Caroli Girardi inſtitutiones vænibant. Apud ipſum Joannes Lodoicus Tiletanus [p] Aratum impreſſit ; ipſe excudit Franciſco Stephano [q] Perionium de fabularum antiquâ conſuetudine, Galeoto à Prato & Antonio Vincentio privilegii participibus [r] Biblia vulgata in folio, ſibi & Johanni Roigny [s] Ariſto-

[a] Ruell. de ſtirp. 1536. [b] Decret. concil. Senon. 1529. [c] & [d] 1529. [e] 1530. [f] 1541. [g] 1530. [h] 1536. [i] 1534. [k] 1543. [l] 1539. [m] 1542. [n] 1543. [o] 1541. [p] 1540. [q] 1540. [r] 1541. [s] 1542.

telis Elenchos, Reginaldo Calderio in ædibus ipſius commoranti [a] Ciceronis Topica: in ipſius itidem ædibus excuſa eſt [b] Hiſtoria Ciceronis filii, privilegiúmque Reginaldo Calderio indultum.

Editionum ſuarum plurimas aut [c] Regis ipſius aut [d] Curiæ authoritate communiebat.

Denique (quod in eâ arte cum primis neceſſarium habetur) id ſemper illi fuit religioſum bonâ fide & honeſtè agere, codicéſque mendis (quàm maximè poterat) vacantes & expurgatos vulgare. In Orontij Finei [e] ſphærâ mundi errata tantùm quinque admiſſa adnotavit, quamvis liber paginas 224 tabulis arithmeticis ubique refertas complectatur: in [f] Euclidis Elementorum ſex prioribus libris, quos idem Fineus demonſtrationibus illuſtraverat, errata ſolùm duo, quaéque in paucis admodum exemplaribus exciderunt. Et ſicubi pluſculis erratis oneretur editio, ingenuè peccatum fatetur; utì in [g] Philippi Bergomenſis chronico, ubi errata 65 occurrerunt, quæ minimè diſſimulat his verbis adjectis, *partim librariorum culpâ, partim eorum negligentiâ, qui prælo præfuerunt, ut nemini faveamus.* Grammatographiæ [h] editionem hôc concluſit diſticho:

Parcite chalcographis, ſi paucula menda reperta eſt:
Non eſt mos nullam linquere chalcographis.

Hinc ergo eſt, quòd meruerit *honeſtiſſimi viri* titulum, quo in aliquibus [i] libris gaudere ipſum legimus.

[a] 1545. [b] 1545. [c] Decret. concil. Senon. 1529. [d] Clictov. Propugnacul. 1526. [e] 1542. [f] lege Chevillier. pag. 141. [g] 1535. lege Chevillier. p. 164. [h] 1533. [i] Herodian. 1529.

Quod

Quod affirmatur à [a] Johanne de la Caille eum primùm Iatini Meldorum impreſſiſſe, nondum mihi conſtat. At verò certum eſt libros extare anno [b] 1520 die Februarii ultimâ, & [c] 1546 ab eo excuſos: per ſpatium ergo annorum 26 rei typographicæ ſtrenuè operam dedit. Initium tamen imprimendi ante annum 1520um eum feciſſe, & in Henrici Stephani adhuc vivi officinâ cum ipſo arti typographicæ incubuiſſe confeſſa res eſt & manifeſta; cùm Montholonis de utroque jure opus grande & duobus amplis voluminibus comprehenſum, quod anno 1520 ſub Henrici Stephani & Simonis Colinæi nomine lucem aſpexit, haud potuerit intrà unius anni anguſtias, aliis etiam libris non paucis eodem tempore prodeuntibus, incipi & ad umbilicum perduci.

Ex quo hoc vitæ genus inſtituit, opus propoſitum non impigre obiviſſe ſatis apparet. Nullam literarum partem reliquit intactam. In theologicis edidit Biblia vulgata in majore & minore formâ; in juridicis, Montholonis juris utriuſque promptuarium; in medicis, Galeni opera permulta à Linacro & & aliis Latinè verſa; in aſtronomicis, multiplices Orontii Finei tractatus; in philoſophicis, varios Ariſtotelis interpretes; in rhetoricis, Ciceronem & Quintilianum dicendi principes; in hiſtoricis & poëtis, omnes optimos; in grammaticis & philologis, præclariſſimos quoſque: ſed hìc catalogo, ad quem lectorem remitto, non antevertam.

[a] Pag. 92. Jacob. Fabri comment. in quatuor Evangelia in fol. 1521.
[b] Galen. de loc. affect. [c] Diſſection des parties du corps humain.

Quæ apud eum Græcè excusa sunt, perpauca quidem reperiuntur; sed adeò nitida, ut nemo non doleat plura ab eo illâ linguâ non fuisse emissa. Nil hactenus vidi præter Græcas Caroli Giraldi institutiones, Arati Phænomena, Sophoclem; & Græcum Testamentum Novum, in quo [a] observârunt eruditi eum aliquando à receptâ textûs veritate ad vulgatam versionem transiisse.

Id præterea egregiè animadvertendum puto, quòd in illo Testamento Græco textum integrum [1 Johan. c. 5. ℣. 7. Τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι] & voces [℣. 8. ἐν τῇ γῇ] omiserit. Nemo pius non indignatur hunc notabilem locum ab hominibus novarum in Ecclesiâ rerum studiosis nunc temporis potissimùm vexari, controversiam ab antiquis Arianis Socinianísque olim motam à neotericis eorum fautoribus tantâ animorum pertinaciâ & contentione renovari, totúmque hunc textum à nonnullis palàm & ex cathedrâ ipsâ theologicâ pro spurio pronunciari: quasi homunciones isti idem in sacris, quod in prophanis, sibi licere vellent. Quum scilicet suâ solâ opinione fulti contra codicum omnium & manuscriptorum & excusorum fidem in poetæ alicujus ethnici versiculum criticam ferulam intenderint; statim audent feroculi, adversùs receptam hactenus & fixam Ecclesiæ catholicæ authoritatem, invitâ codicum ex maximâ parte im-

[a] Jacob. 3. 5. in recepto textu legitur ἰδοὺ ὀλίγον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει, sed in Colinæi Testamento ἰδοὺ ἡλίκον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει. Sicut in vulgat. *Ecce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit.* Plura lege in Prolegom. doctiss. Millii ad nov. Test.

preſſorum lectione, manuſcriptis quidem non omnibus ſed aliquot innixi, conſurgere. At hominibus libertatis aut potiùs licentiæ cùm in cogitando tum in loquendo ſcribendóque patronis, infirmæ rationi indulgentibus, hoc dolet aliquid in ſacris Bibliis reperiri, quo illa noſtræ religionis comprobentur myſteria; quorum, quia ea minimè intelligunt, vel nomen pro ſuo imperio cuperent prorſus abolere. Si homini in ſe & ſuis vix ſatìs oculato & ſæpius inſipienti non liceat in Deo & divinis aliquid ignorare; non erit hìc in terris, quo ſe exerceat fides, aut poſtea in cœlis, quò ulteriùs progrediatur cognitio. Parce, lector, ſi in re tanti momenti tacere non potuerim. Redeo ad Colinæum.

Hebraïcè nihil equidem inveni ab eo editum, præter lineolam unam aut alteram in [a] Eraſmi colloquiis; [b] quorum (ut ait Eraſmus) *excuderat ad viginti quatuor millia*; ſed theologi Pariſienſes, à libro malum religioni Romanæ metuentes, notâ cenſoriâ, quicquid in eo vitioſum & periculoſum ipſis videbatur, caſtigaverunt; publicâque ejus prælectione collegiis interdixerunt.

Colinæus [c] anno 1522, cùm Novum Teſtamentum minore formâ excuderet, operis ſuis typographicis præfecerat Robertum Stephanum, cujus matrem duxerat, juvenem doctum; quíque in alienâ officinâ adminiſtrandâ ſpem indubitatam dedit & ſpecimen egregium, quid in ſuâ foret aliquando

[a] Anno 1527. pag. 85. [b] Chevillier. p. 177. [c] Vide Rob. Stephani reſponſ. ad theolog. Pariſienſ. pag. 8.

præſti-

præſtiturus: nec diu Colinæus tam perito & diligenti officinæ correctore uſus eſt; Robertus enim intrà quadriennium ſuam inſtruxit.

Colinæus [a] tanti erat eâ ætate nominis typographus, tantâ induſtriâ in literatorum amicitiam & conſuetudinem ſe inſinuabat, ut viri doctiſſimi cum eo [b] familiariter agerent, nihílque magìs vellent, quàm ut ſua opera ejus typis ederentur. En tibi, lector, Sepulvedæ ad ipſum [c] epiſtolam.

I. Genesius Sepulveda Simoni Colinæo librario Pariſienſi.

SCripſi nuper ad te, libros Ariſtotelis de republicâ, quos è Græco in Latinum convertiſſem, & brevibus ſcholiis enarrâſſem, velle me tuis typis, ut cætera mea ſcripta, diligenter excuſos, ſi tibi nec incommodum nec ingratum eſſet, in manus hominum emittere; nihil ſcilicet deterritum occupatâ à novis interpretibus editione, quorum utriuſque magnam negligentiam vel cæcitatem potiùs deprehendiſſem. Eam epiſtolam tabellarius à ſe tibi fuiſſe redditam affirmavit, ſed reſponſum idcirco eundem à te non petiviſſe, quòd tu Lutetiâ, cùm ipſe paucis pòſt diebus rediret, abeſſes. Quid igitur ad ea reſcribas, expecto. Quâ de re Jacobo Carvaiali viro nobili & mihi amiciſſimo modò per literas mandavi; iſte de meâ voluptate pluribus verbis edocebit. Ergo tuum

[a] Lege Epiſtol. Dedicat. ante comm. Alex. Aphrod. in Ariſtot. de Prim. Philoſ. 1536. [b] Oront. Fin. ad lector. in ſphær. mund. 1542. *typis noſtri Colinæi*, &c. [c] Epiſtol. 38. in Sepulved. oper. Colon. Agripp. 1602. 8.

erit

erit, ut, quid ſtatueris, me primo quoque tempore certiorem facias, ut tibi archetypum, ſi conditio placuerit, mittam. Sin aliter, ipſe quoque de meis rebus conſilium capiam. Vale. Madritio. Cal. Septemb.

Quo tempore hæc epiſtola data ſit, cùm annus non adſcribatur, conjecturâ reperiendum eſt. Cætera Sepulvedæ, quorum ipſe ibi mentionem facit, ex Colinæi prælo exierunt anno 1541. Libros autem Ariſtotelis de republicâ à Sepulvedâ Latinè converſos & explicatos Vaſcoſanus impreſſit anno 1548. Epiſtola hæc ſcribi potuit anno 1544 vel 1545; & quominus hi à Colinæo ederentur, ſtetit forſan per illius mortem. Quæ profectò quando contigerit, licet tantùm conjicere. Obiit certè ante annum 1550, quo ejus hæredes Novum Teſtamentum Latinè in minore formâ impreſſerunt. Adhuc erat in vivis anno 1545. 6 Id. Octob. quo Ciceronis libros philoſophicos edidit; eodémque anno 10° Nov. die Reginaldus Calderius in ejus ædibus hiſtoriam Ciceronis filij, & Claudius Calderius Colinæi ex filiâ nepos ex officinâ Colinæi epiſtolas Ciceronis familiares emiſit. Anno præterea 1546 apud Simonem Colinæum edita habetur Gallicè elegantibus Italicis characteribus in folio Caroli Stephani anatomia; ſed nullum librum poſt annum 1546 ſub ejus nomine me vidiſſe memini. Quibus rationibus facilè inducar, ut credam Colinæum non multò poſt annum 1546 fuiſſe defunctum.

Nullam, utì arbitror, ſexûs maſculi prolem reliquit Colinæus. Unam hujus filiam in Calderiorum

rum familiam nupsisse, Calderiósque ipsius hæredes fuisse nuncupatos ex ante-dictis satis constat.

Typographicum insigne [Tempus alatum falcigerum] & lemma [virtus sola aciem retundit istam] Calderiis & Colinæo fuisse communia [a] priùs observavi. Iisdem usus est Reginaldus Calderius, qui [b] anno 1518 arte excusoriâ jam innotuerat. Illa præfixit Actis concilii Tridentini, quæ anno 1546 ex officinâ ejusdem & Claudii filii prodierunt. Eadem Colinæus anno [c] 1528 usurpare cœpit, postquam non alia nisi sua cuniculorum insignia per annos ferè octo libris impressisset. Claudius Calderius in familiaribus (paulò antè memoratis) Ciceronis epistolis, [d] quas minutis characteribus elegantissimè excudit ad vetustissimorum codicum integritatem fidelissimè recognitas, præmisit Stephanorum insigne, oleam cum lemmate [Noli altum sapere, sed time]; & suppositit hæc verba; Parisiis, ex officinâ Simonis Colinæi.

[a] Pag 4. lin. 35. [b] Jean de la Caille pag. 89. [c] Horat. [c] Lege Claudii Calderii ad lectorem epistolam, in cujus fronte se Colinæi ex filiâ nepotem scribit.

VITA

VITA

MICHAELIS VASCOSANI.

MIchael Vaſcoſanus (Gallicè *Michel de Vaſcoſan*) [a] Ambianis natus, duodecim poſt Simonem Colinæum annis cœpit Pariſiis inclareſcere. Hic anno 1520°, ille 1532° primùm innotuit. Hic à Latinis, ille à Græcis typographiæ fecit auſpicium. Habitâſſe illum [b] in viâ ad Sanctum Jacobum ſub ſigno fontis libri plerique ab ipſo editi indicant. Inſigni typographico nullo uſus eſt, præterquam Aſcenſiano prælo, quod ab anno [c] 1535° uſq; ad [d] 1539um frequentiùs uſurpavit, plerumque ſubſcribendo, *in ædibus Aſcenſianis:* Badio enim Aſcenſio cognatione propinquiſſimâ ſe conjunxerat. Jodoco certè

[a] Chevillier. p. 148. [b] Gaz. Grammat. 1533. Politiq. d'Ariſtot. 1576. [c] Cic. Cat. Maj. 1535. [d] Cic. de Prov. conſul. 1539.

Badio id cedat in æternam laudem oportet, quòd non ſolùm ipſe eruditione variâ repletus Pariſiis, [a] 15° ineunte ſæculo, artem exercuerit & promoverit typographicam; ſed & in ſuam familiam cooptaverit, qui eandem, ſe defuncto, ad poſteros continuarent. Tres enim filias tribus celeberrimis eâ tempeſtate typographis collocavit. [b] Petronillam duxit Robertus Stephanus, Joannam Johannes Roigny, Catharinam Vaſcoſanus; qui anno 1535, [c] quo Badius diem obiit ſupremum, in defuncti ædibus per annorum quatuor ſpatium libros impreſſit Aſcenſiano prælo ſignatos, non ultra (quantum ſcio) annum 1539; propterea quod fortaſſe id circiter temporis uxor ſua deceſſerit Badij filia; nam eum [d] in nuptiis ſecundis Robinam Coing aliquando habuiſſe accipimus. Hoc autem obſervari obiter indignum neutiquam duco, quo cognationis vinculo typographi illi veteres clariſſimi ſe mutuò aſtringebant; quaſi rei literariæ magni intereſſe crediderint, ut collatis inter ſe non modò ſtudiis & impenſis ſed etiam familiis artem erudito orbi tam neceſſariam excolerent. Sic Simonem Colinæum Roberti Stephani vitricum affinitate attingebat Vaſcoſanus, quoniam Roberti Stephani uxoris ſororem duxerat.

Actum agerem, ſolíque lumen inferrem, ſi typographicos Vaſcoſani characteres, Italicos ſcilicet & Romanos, laudare aggrederer. Cerne, lector,

[a] Chevillier. p. 138. [b] Chevillier. p. 138. & la Caille p. 96. 102. 105. [c] Chevillier. p. 138. [d] La Caille. p. 102.

[a] Quintilianum ter ab ipso in folio, & [b] semel in 4to excusum; totis oculis perlustra varios Ciceronis, quos emisit, tractatus: mecúmque fateberis, cum, qui non viderit, animo; & qui viderit, verbis assequi non posse, quod tuendo testis oculatus expleri nunquam poterit. Græci certè ejus typi Latinorum non æquant formam; minutiores sunt, neque tamen parvis sua deest gratia. Imò quidem si eos diligenter & propiùs examinaveris, in tribus putà [c] Thucydideæ historiæ libris & [d] Oppiano, Aldinis aliísque plurimis non invenientur inferiores.

Fides & cura in ejus exemplaribus nullibi desiderantur; in [e] Budæi de asse commentario tria tantùm numerantur errata: nec notæ omnibus spectataéque ejus diligentiæ quicquam apud sanos rerum æstimatores detrahet subirata Sepulvedæ, authoris omnium Hispanorum (Erasmo [f] teste) glorioſissimi, cujus mentio deinceps fiet, epistola.

Typographum & librarium Parisiensis universitatis juratum fuisse constat ex regio privilegio ei anno [g] 1553 indulto, & postea regium typographum ab anno [h] 1566 usque ad [i] 1576.

Consortium typographicum ei primum fuit ann. [k] 1533 & [l] 1534 cum Petro Gaudoul; (cujus signo nonnunquam utitur, manu scilicet sursum erectâ lampada ardentem sustinente, cum his sen-

[a] 1538. 1542. 1549. [b] 1542. [c] 1548. 1549. [d] 1549. [e] 1542. [f] in epistolâ ad Johan. Cholerum anno 1534 datâ. [g] Lege privilegium Gallicæ Justini Martyris editioni præfixum. [h] Discours des choses faites à Bayonne, &c. [i] Politiques d'Aristote. [k] Rodolph. Agricol. de Invent. Dialectic. [l] Theod. Gaz. Gramm. lib. primus sub Vascosani, 2us. 3us. & 4us. sub Petri Gaudoul nomine.

tentiis utrinque ac ſubtus poſitis, *Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*, Mat. xxv. *Sic luceat lux veſtra*, Mat. v.) anno [a] 1534, cum Joanne Parvo & Petro Gaudoul.

Anno 1536. unà cum [b] Joanne Parvo, quem jampridem ſibi in ſocietatem adjunxerat; & [c] Joanne Roigny, quîcum utì antea generis, ità nunc artis acceſſerat communio; operâ Joannis Lodoici Tiletani uſus eſt.

Anno [d] 1539 & [e] 1549 in laborum partem vocavit Galeotum à Prato.

Annis 1542, 1543, 1544; cùm operibus grandioribus prælum inſudaret, ad neceſſarios uſus operam ſibi mutuam corrogavit partim eorum, quos antea laborum conſortes adſciverat; partim aliorum, quos, opere nunc fervente & labore indies creſcente, viſum eſt de novo accerſere auxiliarios: nempe [f] Joannem Roigny, [g] Odoinum Parvum, [h] Ægidium Corrozet; & [i] Johannem Roigny cum Roberto Stephano; adeò dignus erat Budæus, in cujus operoſis lucubrationibus promendis tres egregii doctíque typographi matrimonio lucróque conſociati nervos intenderent. Inter ſocios Vaſcoſani typographicos, aliquando [k] Mathurinus du Puis, [l] Poncetus, [m] Olivarius de Harſy, [n] Fredericus

[a] Cicer. epiſtol. familiar. [b] Aul. Gell. [c] Bed. in Solomon. [d] Paul. Æmyl. [e] Inſtructions ſur le faict de la guerre. [f] Theophylact. in epiſtol. 1542. Cæſar. commentar. 1543. Paul. Æmyl. 1544. Cic. Orat. Philippic. 1544. [g] Quintilian. 1542. Liv. hiſt. 1543. & 1552. Chronic. de regib. Francor. 1548. [h] L'Arcadie de Sannazar 1544. [i] Bud. de Aſſ. 1542. ejuſd. annotat. in pandect. 1542. & 1543. [k] Cicer. de orat. partition. 1547. [l] Lizet. adverſ. pſeudoevang. 1551. [m] Cliſtov. ſermon. 1556. [n] Sophoc. tragœd. Latinè: & Jul. Cæſ. Scalig. de ſubtilit. 1557.

Morellus

Morellus [a] gener ipſius Vaſcoſani, nemo ſæpius quàm [b] Johannes Roigny memoratur.

Suis editionibus ſæpiſſime privilegia à [c] rege, à Pariſienſi [d] ſenatu, [e] proprætore aut ſuppræfecto impetrata procuravit.

In fine libri, cujus titulus [La theologie naturelle de Dom Raymon Sebon], anno 1550, & denuo 1597 à Frederico Morello excuſi, legitur privilegium regium anno 1560 datum, quo Vaſcoſano copia facta eſt, inter alios libros, edicta inſuper regia & quæcunque ad rem publicam pertinerent, imprimendi.

Vaſcoſanum doctrinâ atque optimarum artium ſtudiis eruditum fuiſſe liquet ex plurimis epiſtolis ſuorum librorum initio præfixis: [f] ad regem Franciſcum primum; [g] ad Johannem Morinum Pariſienſem rerum capitalium proprætorem; [h] ad Carolum Humierium Abbatem S. Quintini, & Jacobum Humierium, fratres; [i] ad Jacobum Spifamium academiæ Pariſienſis rectorem ac ſupremæ curiæ præſidem; [k] ad Nicolaum Strabonem adoleſcentem literatum; [l] ad lectorem; [m] ad Jacobum Varadæum in ſupremo Pariſienſi ſenatu regium conſiliarium; erga quem *ſuam incredibilem obſervantiam & propenſam animi voluntatem teſtatur; à puericiâ in illam familiam tanquam à parentibus ſuſ-*

[a] Lege epitaph. paulò poſt. [b] Lucian. Latinè 1546. [c] Henr. II. ann. 1551. Vide Edition. Connan. jur. civil. & Juſtin. Martyr. Gallicé. & Zonar. hiſtoir. Gallicé. & Wotton. de animal. [d] Paul. Æmyl. 1539. [e] Tit. Liv. 1543. Cicer. de divinat. 1542. [f] Paul. Æmyl. 1539. [g] Quintilian. 1538. [h] Appian. Latinè 1538. [i] Pachym. in Ariſtot. 1545. [k] Tho. Magiſt. 1532. [l] Alex. ab Alex. genial. dier. 1549. [m] Tit. Liv. 1552.

ceptus

ceptus atque liberaliter educatus; qui etiam adoleſcens Varadæum herum & præceptorem habuerit. In eâdem epiſtolâ commemorat *Cypriani Reliæ in C. Plinii naturalem hiſtoriam commentarios, quos Hieronymo Varadæo Jacobi fratri teſtamento reliquerat, quóſque ſperabat ſe aliquando typis excuſurum.*

Quantum itaque de literis meruerit, & literis potuerit, dubitare lectorem non patiuntur tot epiſtolæ tam eleganti ſtylo conſcriptæ: non tamen fruſtra erit, ſi id ampliſſimis virorum illuſtrium doctorúmque teſtimoniis muniero.

Imprimis Vaſcoſani maxima in rem literariam merita publicè prædicantur in [a] regio diplomate his verbis.

NOus bien advertis des grands labeurs, peines & travaux, que noſtre bien-amé Michel Vaſcoſan, imprimeur & libraire juré en noſtre univerſité de Paris a prins depuis vingt deux ans à imprimer continuellement en toutes langues & diſciplines tous les meilleurs livres & les plus utiles, & que de tout ſon pouvoir il a toujours aidé à fournir &c. avertis auſſi de la grande diligence, frais & depens qu'il fait à recouvrer pluſieurs & bons anciens livres, & iceux faire traduire de langue en autre, & les illuſtrer de portraits & figures, quand beſoin le requiere: & auſſi qu'il fait ordinairement conferer avec pluſieurs & divers exemplaires, tant eſcrits à la main que imprimez, par les hommes doctes &c. pour ces cauſes & autres &c. donnons & octroyons &c. privilege pour le temps & terme de dix ans, pour tous les livres, que le dit de Vaſcoſan imprimera cy apres, &c. Donné à Paris l'onzieme jour de Fevrier, l'an de grace mil cinq cens cinquante trois.

[a] Vide edition. Juſtin. Martyr. Gallic.

[a] Jaco-

[a] Jacobus Lodoicus Strebæus in epistolâ ad eum datâ confitetur *lectorem illi plurimum debere eo nomine, quòd in comparandis undique terſioribus libris, tum Græcis tum Latinis, nullis ſumptibus pepercerit.*

[b] Jo. Geneſ. Sepulveda poſt Ariſtotelis libros politicos à ſe Latinè verſos & ſcholiis illuſtratos & à Vaſcoſano anno 1548 excuſos ipſi binas ſequentes epiſtolas miſit.

Jo. GENES. SEPULVEDA VASCOSANO librario Pariſienſi S. P. D.

OPus Ariſtotelis de republicâ, Vaſcoſane, quod ipſe è Græco in Latinum ſermonem vertendum ac ſcholiis enarrandum curavi, à te potiſſimùm viro docto & diligente excuſum fuiſſe mihi fuit pergratum. Nam & characteres mihi probantur, nec tuam vigilantiam magnopere deſiderarem, niſi inter initia nonnihil dormitâſſes. Itaque menda, quæ non pauca librum percurrendo videre contigit, adnotavi, nec dubito, quin me aliqua præterierint. Ex literis amicorum intellexi opus in Galliâ, Italiâ & Germaniâ Belgióque exceptum fuiſſe non ſinè doctorum approbatione, &, ut ſcribunt, applauſu; & tibi eſſe in animo rurſus propediem excudere. Quod ſi ita eſt, tuum erit, ut tibi errata, de quibus dixi, deſcripta mittam; quæ niſi fuerint emendata, & nova, ut fieri ſolet, acceſſerint, rationibus tuis & opinioni nonnihil decedat neceſſe eſt. Ut igitur res procedat,

[a] Cicer. epiſt. ad Octav. 1536. [b] Sepulved. oper. epiſtol. 75 & 76.

multùm

multùm te juvabit diligentia mihi in emendatione libri adhibita, & quæ fortaſſis major adhibebitur. Vale Valdolito. Cal. Aug. 1549.

Jo. GENES. SEPULVEDA VASCOSANO librario Pariſienſi S. P. D.

CHartam recognitionis meorum opuſculorum, quam Gaſpari Trechſello proficiſcenti ad te dederam, ſed auctiorem, mitto, quam ut ſic imprimendam mandes, pervelim, eâ formâ ac characteribus, qui mea opuſcula, ut à Colinæo anno Chriſti 1541 excuſa ſunt, imitentur. Quod ut primo quoque tempore facias, te etiam atque etiam rogo, etiamſi Trechſellus aliam impreſſerit. Res eſt paucarum horarum, & minimæ impenſæ; & hanc ipſam facit orator Cæſareus patronus meus. Ego tamen pro re exiguâ tibi magnam habebo gratiam. Centum exempla mihi ſatis erunt, quæ tradi volo hæredibus Colinæi, ut ſingula totidem meorum opuſculorum codicibus addantur, præter ſex aut ſeptem, quæ ad nos per tranſeuntes à Cæſare tabellarios mitti volo; quam curam idem orator, ut beneficium abſolvat, ſuſcipiet. Hoc cùm effeceris, erit diligentiæ tuæ, ut Trechſellum, ne fortè laborem inanem capiat, certiorem facias. Vale. Ex Valdolito. Non. Jul. 1550.

Ex duabus hiſce, quas integras conſultò inſerui, epiſtolis apparet Sepulvedam (pro ſuo ingenio quantumvis indignabundum & impotenter minacem ob nonnulla, quæ in ſuum, de quo jactantior ſibi plaudebat, opus irrepſerant, menda) veritate tamen coactum Vaſcoſani meritis ſuum adjeciſſe calculum; eique, utcunque de primâ impreſſione conquere-

querebatur, ſecundam non fore ingratam: quam ſcribit Vaſcoſano in animo fuiſſe; nunquam adhuc equidem vidi. Edidit certè anno 1554 Latinam Ariſtotelis politicorum interpretationem, ſed à Jacobo Lodoico Strebæo elaboratam.

Vaſcoſani fama jam latè increbuerat apud exteros; nec ſolùm ſuorum popularium, ſed alienigenarum opera ſuis prælis ſubjiciebat, [a] Edvardi videlicet Wottoni, [b] & Cuthberti Tonſtalli Dunelmenſis epiſcopi.

Editionem, quam [c] curavit, Julii Cæſaris Scaligeri exercitationum de ſubtilitate ad Cardanum, mirum in modum celebrat Joſephus [d] Scaliger: nec omnino à propoſito erit alienum, ſi adjiciam, quid Julius Scaliger, magnum illud criticorum lumen, in ſuâ ad Vaſcoſanum epiſtolâ editioni ſuarum exercitationum præfixâ de ipſo ſenſerit.

MICHAELI VASCOSANO JULIUS CÆSAR SCALIGER S.

CUM primùm nominis mei ſpecimen olim tuis auſpiciis, ut ita dicam, fuerit inauguratum: eadem fortuna, quæ tum mihi tam benignè favit, nunc recurrente fato quodam tuam fidem, operam, diligentiam de integro cum meâ dignitate conjunxit. Quid enim mihi potuit honorificentius evenire, quàm meas videre

[a] De different. animal. 1552. [b] De Euchariſt. 1554. & compend. in Ariſtotel. ethic. 1554. [c] 1557. [d] Scaligeran. 1669. pag. 217. le livre de mon pere a eté fort bien imprimé à Paris; il n'y a point de fautes.

lucubrationes à doctiſſimo viro ſummis impenſis adeò celebratas, atque frequentatas; ut rei ſuæ familiaris eam demum habuerit rationem, quam mea commoda poſtularent? Itaque verba, quibus tibi gratias agerem, cùm mihi nulla eſſe viderem; conjeci oculos in librum quendam, quo tuam, ſi quâ parte poſſem, beneficentiam remunerarer. Cardani liber de ſubtilitate, &c. Hoſce commentarios qui, cui rectè darem, nondum inveniſſem, ſuppreſſi totum hoc triennium, ut neceſſariò, ita non invitus. Nunc verò nactus Janum Maumontium, ſummâ virum nobilitate, rarâ eruditione, ſingulari erga me fide atque pietate, tuum intimâ familiaritate neceſſarium, per eum tibi mitto: ut &c. ſi in utriuſque rem eſſe videatur, eos emittas in lucem; ſint tuorum erga me meritorum, meæ in te penitùs obligatæ voluntatis perpetuum poſteris monumentum. Vale. xiv. Calend. Octob.

Cujus epiſtolæ pars prior videtur forſan ſpectare libros Julii Cæſaris Scaligeri in Ariſtotel. de plantis, anno præcedente à Vaſcoſano impreſſos; neque, ut opinor, primâ vice; nam privilegium anno 1553° fuerat impetratum.

Vaſcoſanus, ætate non multùm provectâ, prima artis ſuæ dedit ſpecimina: & [a] quamvis ei *non dubium fuerit magnam & duram eſſe provinciam Latinos libros imprimere, duriſſimam Græcos, præſertim emendatè; ipſiúſque rei experientia ejus opinionem longè vicerit: tamen ubi datum eſt tempus, in quo laborem experiretur, & diligentiam ſuam publicè oſtenderet, aggreſſus eſt rem quidem difficilem & ſumptuoſam curarúmque plenam; ſeſe conſolaturus, ſi*

[a] Lege epiſtol. Vaſcoſ. eclogis Tho. Magiſtr. &c. præfixam. 1532.

ſuas

ſuas lucubrationes prodeſſe omnibus audierit: annóque 1532 *emiſit ſelectiones Atticæ linguæ Thomæ Magiſtri, &c. formâ enchiridii, in gratiam quorundam aulicorum, qui, id ut faceret, enixè ab eo contenderunt.* Neque hìc quaſi feſſus ſubſtitit, ſed operi incepto ſtrenuè accinxit; anníſque proximè ſuccedaneis Alcinoi opuſculum; Theodori Gazæ grammaticam; & Nicolai Clenardi Græcanicas inſtitutiones & meditationes publicavit: illas enim, quamvìs nondum viderim, in ejus tamen officinâ impreſſas dubitare non ſinit, quod in harum editionis calce typographus lectorem monet; *numerum* nempe *paginarum non cum quibuſvis inſtitutionum auctoris convenire, verùm cum iis duntaxat, quæ ex officinâ ſuâ ſuperioribus diebus in lucem prodierant.*

Statim poſt acceptam in ſe duriſſimam Græcarum editionum provinciam, animo alacriori Latinarum minùs difficilem ſuſcepit; annóque 1533 à rhetoricis duxit exordium: & Rodolphi Agricolæ de inventione dialecticâ libros cum Joannis Matthæi Phriſſemii ſcholiis charactere Italico, illos majore, hæc minutiore, utroque nitidiſſimo; tum Ciceronis Tuſculanas quæſtiones cum Beroaldi & Georgii Vallæ commentariis Romano, majore itidem & minutiore, excudit.

Rei oratoriæ rationem maximam videtur habuiſſe, qui Quintiliani inſtitutiones [a] quater revocaverit ad prælum, & [b] Ciceronis penè omnia,

[a] 1538, 1542, 1549 in fol. & 1542 in 4to. [b] Conſule catalog.

ſingula diverſis temporibus, pleraque virorum doctorum commentariis illuſtrata, evulgaverit opera.

Hiſtoriam, ſcientiarum (ferè dixeram) omnium rebus præſertim agendis utiliſſimam, minimè à ſe dimiſit incultam; ſed hiſtoricos in linguâ utrâque principes, in Græcâ Thucydidem (at non [a] integrum), in Romanâ Cæſaris commentarios, Velleium Paterculum, & [b] bis Titum Livium, alióſque luculentiſſimè edidit. Scientiæ hujus adeò vehementer ſtudioſus extitit; ut facem veteribus prætuliſſe typographicam non contentus, recentibus etiam novam addiderit lucem: quóque non ſuis duntaxat popularibus ſed & exteris gratum faceret; Paulo Æmylio (cui liber [c] decimus acceſſerat à Petro Daneſio ex Italiâ miſſus) ſæpiſſime in [d] variis formis, & partim [e] Gallicè excuſo comites haud indignos adjunxit Paulum Jovium ac Petrum Bembum.

Poëtæ qui ex ejus officinâ prodierunt, non ita multi reperiuntur; ſed formâ, ſed cultu adeò accurato, vultu adeò venuſto, ut nihil ſuprá. Terentius certè, Horatius, Plauti quædam fabulæ, Ovidii faſti, Juvenalis, & Martialis ab illo habent, quod ſibi à reliquis invideatur. Sed ſi in ſingulis (quos diſtinctiùs exhibet catalogus) hærendum eſſet, recenſerem ordine grammaticos (à quibus exorſus eſt; grammatica enim eſt artium reliquarum ac ſcientiarum janitrix), mathematicos, medicos, juriſconſul-

[a] Lib. 1. 1548. lib. 2. & 3. 1549. [b] 1543. & 1552. [c] Lege epiſtol. Vaſcoſan. dedicator. ad Franc. I. reg. [d] 1539, 1544, 1550, 1566. in fol. 1548, 1555. in 8°. [e] Lib. 1. & 2. 1556.

tos

tos theologósque: qui diligentiæ illius debent, quòd in eruditorum manus venerint pro suâ dignitate expoliti & emendati.

Denique non meri typographi semper fungebatur officio; sed nonnunquam critici, [a] loca plurima emendando, præcipuè si quando extrema authoris manus in illis desideraretur.

Sic nullum tempus remittendo à laboribus vacuum, longum confecit stadium, annorum scilicet 44, à 1532 ad [b] 1576: cúmque diu [c] sub Franciſci I, Henrici II, Caroli IX, regnis floruisset; Henrico III regnante, laborum & annorum satur, filiorum duorum Petri & Michaëlis, hujus 1545. 23 Aug. illius 1542. 13 April. nati, pater, fato concessit.

Epitaphium, quod Federicus Morellus Federici filius, Vascosani nepos, Badii pronepos, patri, avo, proavóque, ad S^ti Benedicti, ubi inhumantur, posuit, in [d] historiâ Stephanorum, descriptum, hìc etiam malo rescribere, quàm videri stultè clemens chartæ perituræ pepercisse.

Pictura Jodoci Badii. D. O. M. B. Q. U. M. S. Pictura ejus uxoris Thelif Trechsel.

Viator, artes qui bonas piásque amas,
Siste híc. Quiescunt subtèr illustres viri.

[a] Lege præfat. ad lector. in edit. Alex. ab Alex. genial. dier. 1549. [b] Politiques d'Aristote. 1576. [c] Lege la Caille p. 102. & Chevillier. p. 148. *il imprimoit encore en l'annee* 1572. [d] Pag. 190.

Jacet

Jacet *Jodocus* hìc *Badius Aſcenſius*,
Candore notus ſcriptor & ſcientiâ.
Gener Jodoci *Vaſcoſanus* propè ſitus eſt,
Doctiſſimorum tot parens voluminum,
Socer *Morelli* regis olim interpretis;
Muſarum alumni, quæ gemunt hìc conditum,
[a] Fœdúſque Federici ademptum ſibi dolent.
Tres cippus unus hic tegit cum uxoribus
Lectiſſimis & liberorum liberis.
Hos Chriſtus olim dormientes ſuſcitet
Ad concinendum Trinitati almæ melos.

I. X. Θ. Υ. C.

Federicus Morellus Pariſ. profeſſor & interpres regius; Federici Morelli nobilis genere Campani, regii quoque interpretis filius; Michaël. Vaſcoſani ſcutiferi Ambiani nepos; Jodoci Badii illuſtris Belgæ pronepos; marmoreum hoc epitaphium patris, avi, proavi piæ memoriæ ære ſuo poſuit: ejuſdem, cùm Deus vocans volet, tumuli compos fieri optans, ἐν Θεῷ εὐελπις. Anno ſalutis 1603.

Qui idem Morellus unus erat è duûm-viris togatis hujus ædis ſacræ D. Benedicti Παροικίας γαζοφυλακείῳ præfectus.

Hinc, utì jam [b] priùs monueram, patet, quòd typographi antiquum & ſolenne habuerint, ſui æ-

[a] Quantitate & etymologiâ refragantibus, alluſio hæc videtur duriuſcula, quaſi aliqua eſſet inter voces *fœdus* & *Federicus*, alia atque ſolius ſoni, affinitas. Adeò tamen hæc nonnullis veteribus allubuit, ut aliquoties nomen illud proprium per œ dipthongum excuſum legerim.
[b] Pag. 18.

què

què artificii ac generis propagationi per nuptias consulere. [a] Joannes enim Trechsel natione Germanus Lugduni anno 1487 (quo primum sancti Augustini operum volumen excuderat) clarus, suam filiam Thelif Jodoco Badio Belgæ, qui de genero optimè meruit, nuptum dederat.

Ne verò hìc lector id mihi succensèat, quòd aliquid memoratu necessarium hunc celaverim; de Badio nonnulla in transitu summatim attingam, plura forsan & de illo & de aliis aliquando dicturus. Illum interim omnino præterire non decuit; scire enim maximè interest, qualis fuerit is, quem socerum lecta illa typographorum trias agnoverit, Robertus Stephanus, Michaël Vascosanus & Johannes Roigny.

[a] Jodocus Badius Ascensius Ascæ in agro Bruxellensi natus anno 1462°. propè ab ipsius artis origine; Gandavi, Bruxellæ, Ferrariæ sub Baptistâ Guarino literis Latinis Græcísque imbutus; in universitate Parisiensi & Lugdunensi urbe professor; Lugduni in sui soceri Johannis Trechsel typographëo *librorum imprimendorum diligentissimus admodum castigator*; tantam opinionem obtinuit, ut inter omnes optimos illius temporis viros *omni disciplinarum genere eruditissimus, impressoriæ artis primas, divinarum scripturarum non ignarus, philosophus, rhetor & poëta clarissimus, ingenio excellens*

[a] La Caille pag. 40. [b] Lege Chevillier. pag. 136, 137, 138. & la Caille. pag. 72, 73, 74.

& di-

& diſertus eloquio perhiberetur. Johanne Trechſel defuncto, anno circiter 1500 Pariſios profectus, plurimos authores, ſuis pleroſque commentariis ornatos, prælo ſubjecit. Ejus inſigne typographicum fuit Prælum Aſcenſianum.

Gothicum, quo ſæpe utebatur, characterem non multùm laudabo; ſed Romanum, quo multos codices & ipſe & gener Vaſcoſanus impreſſerunt, ſiquis improbaverit, næ iſtum & oculis & judicio carere affirmabo. Filii unius Conradi, triúmque filiarum parens, anno 1535 nondum peracto, diem ſupremum obiit. Illi Henricus Stephanus hoc ſcripſit epitaphium.

Hìc, liberorum plurimorum qui parens,
Parens librorum plurimorum qui fuit,
Situs Jodocus Badius eſt Aſcenſius.
Plures fuerunt liberis tamen libri;
Quòd jam ſeneſcens cœpit illos gignere,
Ætate florens cœpit hos quòd edere.

Sic Morellorum, de quibus poſtea ſcripturus ſum, familia progenitores, Germanum primò, deinde Belgam, denique Gallum nacta, artem ad ſe ab avo atque atavo demiſſam, nobile tanquam depoſitum ſuæ fidei concreditum, ita ſtudioſè diligentérque curavit; ut ars per tot gradus, quot gentes, aſcendere ad culmen videretur, cùm à Germano ad Belgam, à Belgâ ad hos celebres Gallos tranſiret.

VITA

VITA Gulielmi Morelii.

GUlielmus Morelius (Gallicè [a] *Guillaume Morel*) [b] Tilianus [c] *Juliani fano in Caletenſi Neuſtriæ pago in re tenui natus eſt.* Sed natales obſcuri & rei familiaris anguſtiæ impedimento non fuerunt, quin eruditione inclareſceret. Is à primâ adoleſcentiâ bonis literis omníque diſciplinæ genere inſtitutus, poſtea [c] *propriâ induſtriâ*

[a] Biblioth. de la Croix du Maine pag. 151. Guillaume Morel natif de la ville du Tailleul en Normandie. Anti-baillet de Menag. tom. 1. p. 247. le lieu s'appele *le Teilleul* & non pas *Tailleul*, ou plûtôt *le Tilleul*. & p. 248. il n'y a point de ville en Normandie du nom de *Teilleul* ou *Tilleul*. Mais il y a trois bourgs de ce nom. Celui d'ou étoit Guillaume Morel eſt celui, qui eſt dans le Comté de Montain. Il y a encore dans ce bourg pluſieurs perſonnes du nom de *Morel*. [b] Sic ſe vocat ipſe Morelius in tabul. veter. philoſophor. & G. M. T. in libro de uſu imagin. ann. 1562. [c] Jacob. Aug. Thuan. hiſtor. lib. 36. pag. 288. edit. Genev. 1620.

induſtriâ & in alienâ juvandâ rei literariæ ſedulam, quamdiu vixit, operam navavit. Anno 1544° primum ſui dedit ſpecimen doctis, quos in Ciceronis libros de Finibus ſcripſerat, [a] commentariis. Ii ex Joannis Lodoici Tiletani officinâ anno 1545° prodierunt Jacobo Spifamio Pariſienſis univerſitatis cancellario nuncupati à Morelio, qui in ſuâ ad ipſum epiſtolâ rogat, ut *has ſuorum ſtudiorum primitias vel potiùs teneros flores ac primos conatus ſuſcipiat.* Ex eâdem etiam comperio eùm, *ut videbatur jam Græcorum inſtitutionibus nonnihil inſtructior, corrigendis chalcographorum exemplaribus à Joanne Tiletano librario diligentiſſimo tum demum præfectum fuiſſe, nactum quidem Spartam, quam ornare pro dignitate ne doctrinâ quidem pluſquam mediocri præditus poſſit.* Sic antea obſervatum eſt Simonem Colinæum ſub Henrico Stephano primo & Robertum Stephanum ſub Simone Colinæo feciſſe tyrocinium. Inſigne poſtea aliud ſuæ eruditionis indicium edidit in *compendioſâ de veterum philoſophorum origine, ſucceſſione, ætate tabulâ ex Plutarcho, Laërtio &c. collectâ*; quæ quo primùm anno [b] ab ipſo excuſa fuerit, nondum ſcire potui.

Poſtquam in Tiletani officinâ ſeſe exercuiſſet, ſuáſque vires prætentâſſet; [c] anno 1548 cœpit cum Jacobo Bogardo Quintiliani inſtitutiones ſuis notis illuſtratas in 4to imprimere: deinde ſolus 1549,

[a] Anti-baill. tom. 1. p. 250. Il eſt dit dans le Pithœana, que cet ouvrage étoit de Turnebe; ce qui n'eſt pas vrai-ſemblable. [b] Excuſam ab ipſo fuiſſe conſtat, ex indice librorum, quos cudit Morelius, ann. 1560 vulgato. [c] Hiſtoire de l'imprim. de la Caille. pag. 123.

[a] ſub

[a] ſub inſigni D. Stephani ex adverſo ædis aut [b] ſcholæ Remenſium, Græcè plurima typis mandare. Libris plerumque [c] epigraphen hanc affigebat, δεύτερον φρονοῦντες σοφώτερον, ex [d] Euripidis Hippolyto deſumptam. In Phalaridis epiſtolarum calce lectorem monet ſe Florentino Aldinóque exemplaribus uſum, corruptioribus quidem; ſed errores, quos animadverterat, à ſe indicatos: ac ubi exemplar antiquum manuſcriptum, quod ex amicis quidam fuerat pollicitus, habuerit, librum emendatiorem ſe foras daturum. Anno 1550, ſocios ſibi accivit [e] Johannem Roigny, [f] Martinum Juvenem, [g] Jacobum & [h] Mathurinum du Puis. Joannis Carionis libros appendice locupletavit, & in epiſtolâ ad lectores ſcribit ſe eos, quàm emendatiſſimè fieri poſſet, emittendos curaviſſe. Illis apponitur privilegium à rege anno 1547 die 7° Decemb. impetratum; unde colligitur, quo primùm tempore de typographicâ officinâ inſtruendâ cogitaverit. Ann. 1550 & 1551, SS. Gregorii Nyſſeni, & Baſilii magni quædam ab eo ad ſcholas Coqueretias reperiuntur excuſa. Anno 1551 Jacobus Kerver ei operam ſuam accommodavit in excudendis Auſonio, & Ori Apollinis hieroglyphicis Latinè verſis cum obſervationibus à Mercero, qui ibidem lectorem docet ſe ex vetuſto, quod ipſi doctiſſimus & diligentiſſimus homo Gulielmus Morelius obtulerat, exemplari manuſcripto multa in

[a] Cyr. Prodrom. exul. amicit. [b] Epiſtol. ſapient. [c] Art. metiend. lib. 1549. Greg. Nyſſ. adversùs eos &c. 1550. Ariſtotel. œconom. Lat. 1551. [d] Verſ. 436. [e] Homer. Ilias Latin. [f] & [g] Carion. chronic. [h] Falcand. hiſtor. Sicil.

hâc Ori editione reſtituiſſe. Anno 1552 libris ſuis inſigne typographicum adhibuit peculiare, [a] ſcilicet elementum theta cum binis ſerpentibus circumtextis & Cupidine mediæ lineæ inſidente. [b] Theta mortis, ſerpentes immortalitatis, Cupido amoris ſymbolum docent in morte amandam eſſe immortalitatem. Huic ſymbolo hieroglyphico aliquando ſubjicere ſolebat lemma

[c] *Victurus genium debet habere liber*

ex [d] Martialis epigrammatibus depromptum, aut [e] δύτεραι φροντίδες ζοφώτεραι: [f] bina nonnunquam lemmata, illud infra, hoc ſupra ſymbolum adjecit.

Hôc anno ab Adriano Turnebo typographo regio in typographicam ſocietatem admiſſus eſt Morelius; & per quadriennium uterque junctis viribus libros excuderunt, ille [g] ſæpius textum Græcum, hic Latinam interpretationem.

Anno 1554 Jacobum Puteanum in Aretæo & Ruſo Latinè imprimendis ſocium rurſus habuit. Comicorum Græcorum gnomas collegit ipſe, & Græcè Latinéque minutis quidem ſed nitidiſſimis typis impreſſit.

Annis demum nondum quatuor integris, ex quo Turnebo junctus fuerat, exactis; factis jam ſatis artis ſuæ experimentis & [h] *accuratâ linguæ* ([i] quam

[a] Anacharſid. epiſtol. 1552. [b] La Caille. pag. 123. [c] Sententioſ. poëtar. oper. Latinè 1553. [d] Lib. 6. epigr. 60. [e] Sept. ſapient apophthegm. 1554. De veneand. imaginib. 1562. [f] Gnom. ex comœd. Gr. 1553. [g] Aliquando tamen Morelius Græcum, Turnebus Latinum; uti Plutarch. de procreat. anim. 1552. [h] Jacob. Aug. Thuan. hiſtor. lib. 36. pag. 288. edition. Genev. 1620. [i] La Caille. pag. 123.

aliquando

aliquando docuiſſe perhibetur) *Græcæ peritiâ meruit, ut quum Adrianus Turnebus grande ſæculi ornamentum typographiæ regiæ Græcæ, quam ut publico prodeſſet, minimè dedignatus fuerat, in regiorum profeſſorum collegium cooptatus curâ ſe abdicâſſet, & quæreretur dignus tanto munere ſucceſſor, à Turnebo ipſo nominaretur; integrúmque novennium edendis innumeris libris ac præcipuè Græcis conſumpſit.*

Hactenus Morelius typis Græcis ſuis paulò minutioribus ferè uſus fuerat; deinceps [a] regios majores & nitidiores uſurpavit, [b] titulo regii in Græcis typographi aſſumpto, [c] regióque generali diplomate ann. 1555. 11 Jul. impetrato in quinquennium; quod poſtea [d] anno 1559. 18 Jan. continuatum & confirmatum eſt.

Poſtquam novum honorem munúſque obtinuiſſet, libros inſignivit ſymbolo, quod aliis regiis typographis erat commune, [e] Thyrſo cum lauri ramo ac ſerpente circumflexis, & ſubjecto [f] Homeri hemiſtichio, βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ, κεφλεῤῥῷ τ' αἰχμητῇ.

Annis 1556° & ſequentibus, multos ſibi adeptus eſt in arte & ejuſdem impenſis ſubſidiarios; [g] Robertum Stephanum Roberti filium, [h] Audoënum Parvum, [i] Bernardum Turriſanum, [k] Stephanum

[a] Sept. ſapient. apophthegm. 1554. Canin. Helleniſm. 1555. Hippolyt. 1556. [b] Demetr. Phaler. 1555. Cyrill. catecheſ. 1564. Rariſſimè hunc omiſit titulum, uti Lud. Fidel. de ſtructur. mund. 1556. [c] Lege hoc diploma in initio edition. Nicandr. 1557. [d] In initio edition. Maxim. capit. theolog. Latinè 1560. [e] Demetr. Phaler. 1555. Cyrill. catecheſ. 1564. [f] Iliad. γ. verſ. 179. [g] Anacreon. 1556. [h] Audoënus Parvus Latinè, Morelius Græcè excudit Hippolyt. de conſummat. 1556. [i] Actuar. 1556. Vergar. grammat. 1557. [k] Commentar. verborum Latinor. cum Græc. &c. 1558.

Taſſe-

Taſſetam, [a] Thomam Brumenium, [b] Gulielmum Guillard & Almaricum Warancore, [c] Federicum Morellum, [d] Claudium Fremy & [e] Gulielmum des Bois: & exemplaria nonnunquam gerebant eorum, quibuſcum ſocietatem inierat, typographorum inſignia; Bernardini Turriſani Aldinam cum delphino circumflexo anchoram, Thomæ Brumenii olivam binis anguibus intertextis cinctam, Almarici Warancore fucum in heliotropiis cum hôc lemmate, *De viâ veritatis ne declines.*

Morelius libros pleroſque, quos edebat, ſolebat [f] corrigere & ad exemplarium manuſcriptorum veritatem emendare; notis aliquando, variantibus ſæpius lectionibus explicare: e. g. [g] Hygini aſtronomicon, & ſanctos, in quibus edendis multum laboris & ſumptuum impendit, patres [h] Dionyſium Areopagitam, quem Cardinali Lotharingo dedicavit, [i] Hippolytum, [k] Ignatium, [l] Baſilii conciones, [m] Cyrilli catecheſes, & [n] Cyprianum. Gallicè [o] Ignatii epiſtolas, & [p] libellum de venerandis imaginibus interpretatus eſt. Scripſit quoque tractatum hôc titulo [q] *Une brieve declaration de l'autorité des ſ. Ecritures, & du ſ. ſacrament de l'Autel.* Confecit quoque commentarios, [r] de verbis Græ-

[a] Tabul. grammat. Græc. 1559. [b] Adon. chronic. 1561. [c] Id conjicio, quia anno 1564 Marc. eremit. Nicol. Heſych. opuſcul. excuſa ſunt Græcè à Gul. Morelio, Latinè à Federico Morello pro Audoëno Parvo. [d] Cyprian. 1564. [e] Non equidem vidi Cypriani editionem 1564, quæ gerat nomen Gulielmi des Bois: illa verò memoratur à Menagio in Antibaill. tom. 1. p. 251. & la Caille. p. 145. [f] Lege privilegia ei conceſſa. [g] Arat. phænom. 1559. [h] 1562. [i] 1556. [k] 1558. [l] 1556. [m] & [n] 1564. [o] & [p] 1562. [q] Lege *les eloges* des hommes ſçavans par Teiſſier. [r] Anno 1558, & 1566 per ejus viduam.

cæ

cæ linguæ anomalis: & [a] verborum Latinorum cum Græcis Gallicísque conjunctorum, in lexici formam ordine alphabetico redactos; [b] in quibus multa occurrunt loca ex Geoponicis, ex Ciceronis libro de senectute, & Scipionis somnio Ovidiíque metamorphosibus, illo Gazâ, his Planude interprete, Græcè versis; quas Planudis versiones nondum impressas in bibliothecâ regiâ consuluerat. Sic publica dedit testimonia, quantum in Græcis literis profeciſſet, quámque Græcæ typographiæ munere dignus esset. Græcorum ergo authorum præsertim operibus ornandis incubuit; plurimos typis mandavit philosophorum [c] Platonis & Aristotelis tractatus, medicorum aliquos, nec poëtarum paucos; pauciſſimos ex Latinis, nullos (quod sciam) præter Ausonium, Terentii Andriam, & Ciceronis libros de legibus cum Turnebi annotationibus: & ne de aliquâ literarum parte non bene meruisse videretur, Chaldæam proverbiorum Solomonis interpretationem grammaticaéque Chaldaïcæ tabulas Mercero accurante emisit. [d] Nonnullis editionibus, mors ejus obfuit, ne ultimam manum imponeret.

Denique si librorum in omni penè facultate & disciplinâ per quindecim annos ab illo excusorum numerum, delectum, cultum & ornatum attentè

[a] 1558. [b] Lege præfationem illis commentariis præfixam. [c] Anno 1560, Platonis Euthyphroni præponitur hic titulus, Platonis dialogi; unde conjicio, quòd tunc in animo habuerit omnes dialogos sigillatim edere; quorum (quantum novi) quinque vel sex duntaxat prodierunt. [d] Tim. Platon. sive de universit. ann. 1558. sed per Benenat. ann. 1569. absolut.

pensite-

penſitemus, affirmare auſim illum pleroſque ſuperâſſe, nulli certè typographorum ceſſiſſe diligentiâ & induſtriâ, peritiâ & judicio, aut in neceſſariis ſumptibus faciendis. Animi enim penuriâ & parſimoniâ vix pejus eſt & typographicæ arti nocentius vitium, neque quidem hujuſmodi artificibus, maximè imperitis, familiarius. Indè (quod impenſiùs dolendum eſt) ſæpiſſime evenit rem typographis illiteratis accreviſſe, literatis decreviſſe, dum illi lucro proprio, hi publico bono unicè ſtudent. Illud profectò ardens erga literas ſtudium noſtro (proh pudor!) fraudi fuit Morelio, qui rem literariam amplificando, familiarem comminuit. [a] Ecce verba Turnebi in epiſtolâ ad Carolum IX Cyprianicæ editioni præfixâ. *Jam feliciter Dionyſium* (Areopagitam) *ejúſque interpretem ac paraphraſtem ediderat Gulielmus Morelius: Cyrilli catecheſes ad umbilicum perduxerat: Cyprianum multis undique conquiſitis & corrogatis exemplaribus, libris etiam auctum, propè abſolverat; cùm repentè horum authorum editioni immortuus, familiam ære alieno coopertam, uxorem orbam, liberos inopes reliquit. Is nunc pro ſuâ familiâ Cyprianum, Rex Chriſtianiſſime, ablegat, quem in tuo nomine apparere volui, per eúmque te ſupplex orat & obſecrat, ſuorum ut liberorum ſolitudinis & inopiæ miſerearis; aliquídque clargiaris ad æs alienum, non nequitiâ ſed ſtudio bene merendi contractum, luendum atque diſſolvendum. Erant ei annua à patre tuo, auguſtiſſimo rege, Errico conſtituta; ſed híſce proximis annis communium temporum*

[a] Menag. in Anti-baill. tom. 1. pag. 251, & 252.

iniqui-

iniquitas & anguſtia ærarii non permiſerunt, ut illâ liberalitate frueretur. Locum hunc integrum lectori ſubjicere non piguit; non tantùm quòd huic inſit πάθος ad commovendam miſerationem efficax: ſed etiam ut hinc eluceat Morelii meritum, indè ineluctabile & deplorandum fatum, cujus inclementiam nullâ ſuâ culpâ in ſe converterat; demum ut nihil quicquam de regiæ liberalitatis erga literatos in Galliâ ſemper ſpectatæ famâ detrahatur, quæ quidem non deerat, ſed per civiles (in quibus bene meriti plerumque malè multantur) motus interciderat.

Morelius anno circiter 1558° Demoſthenem oratorum principem cœperat prælo mandare. Is, ne opus tanti momenti temerarius & ſubſidiis neceſſariis deſtitutus aggredi videretur, Lambino teſte, [a] *annis aliquot antequam editionem ſuſciperet, duo exemplaria, unum Aldinum Venetiis, alterum Germanicum Baſileæ impreſſum, cum octo vetuſtis codicibus manuſcriptis ex bibliothecâ regiâ depromptis diligentiſſimè contulit* &c. *Præterea ſcholia, quæ in Ulpiani commentariis uſque adhuc impreſſis non reperiuntur &c. in oram tranſcripſerat. His & aliis facultatibus neceſſariis inſtructus operi tam præclaro manus admovit &c. & quamdiu reipublicæ tempora tulerunt, tanto ſtudio in id &c. incubuit &c. ut editionem uſque ad orationem* de malè obitâ legatione *perduxerit &c. anno* 1560, *cùm magnæ turbæ in Galliâ coortæ &c. opus magno animo incœptum &*

[a] Epiſtol. Lambin. ad lector. in edition. Demoſthen. 1570.

ad id loci perductum interrumpere coëgerunt. Non multò pòst ille morbo partim ex vigiliis intempestivis & labore immoderato, partim ex communium & publicorum incommodorum acerbitate contracto supremum diem obiit [a] Lutetiæ anno 1564, xi Cal. Mart. En virum temporibus felicioribus & clementiori fortunâ dignum; laboribus, quos in palæstrâ literariâ exsudavit, confectum; & patriæ, cum quâ interire viri probi fortísque solatium est, ruinis oppressum; cui (quæ laus habetur maxima) contigit viris laudatis in vitâ placere, & ab illis post mortem laudari. Testimoniis Turnebi Lambiníque regiorum professorum jam allatis liceat addere, quid Lambinus idem in dedicatoriâ ad Regem Carolum IX Græcâ, & ad lectorem Latinâ epistolis Demostheni anno 1570 prodeunti præfixis de Morelio ulteriùs scripserit.

——— λόγως δ' τ' ῥητόρων ἀρχηγέ, καὶ ὥσπερεὶ βασιλέως, Δημοσθένης ——— τὸς πρότερον μὲν ὑπὸ Γυλιέλμυ Μορελίυ, τυπογράφυ βασιλικέ, ἀνδρὸς πένητ' μὲν, ἄλλως δ' ἀ πονηρέ, μᾶλλον μὲν ἓν πάνυ πεπαιδαίυ, καὶ τέχνης τυπογραφικῆς ἐμπειροτάτυ, ἐκλυπέντ' ἐγχειρηθέντας, ἀλλὰ διὰ μὲν τὰς ἐν τῇ Κελτικῇ στάσεις καὶ ταραχὰς τότε πρῶτον ἐπεχείρησας, ἐξ ἀρξαμένας, μάλιστα δ' διὰ τὸ αὐτὸν μετ' ὀλίγον χρόνον ἀποθανεῖν διαλειφθέντας ———

——— *cùm scirent omnes homines, qui literarum Græcarum studio delectantur, Demosthenem à Gulielmo Morelio, typographo regio, viro experiente ac*

[a] Jac. Aug. Thuan. histor. lib. 36. pag. 288. ad ann. 1564. edition. Genev. 1620.

strenuo,

ſtrenuo, &, quanquam non admodum locuplete, magnis tamen & multis artis typographicæ facultatibus atque adjumentis ornato, annos abhinc circiter duodecim, temporibus reipublicæ etiam tum tranquillis & pacatis, cœptum eſſe excudi, ſed propter motus civiles tum primùm in Galliâ ingruentes atque orientes, & tempora turbulenta ac formidoloſa, eſſe intermiſſum ———

Henricus Stephanus in [a] epitaphio, quod in Morelium compoſuit, innuit (ſi rectè conjiciam) eum religioni proteſtantium renuntiâſſe, ut Romanam profiteretur.

Ἰλέρμα Μορελίδ Ἐπιτάφιον.

Ἔυμαστ ἡ ἔτ ἀνὴρ, ᾧ καίπερ ἄμετς,
Ἔσκε τυπογραφικῆς ἐυκάμαλ καμαλ.
Ἐχαλα ὴ πρώτοις παρομοῖα ὰ πέλεν ἔρσα·
Ἀλλ' ἐυτεχνίη ὧ πάμπολυ λειπόμνα.
Ἐξ ὃ γὰρ Χριστῷ κεῖν πανάπις ἐτύχθη,
Οὐκέτι ἡ τέχνη πιστὴ ἀπίστῳ ἔλω.

Gulielmi Morelii Epitaphium.

Doctus & hic quondam, magni patiénſque laboris.
(Auxilia hæc artis magna typographicæ)
Sed quòd non hujus reſpondent ultima primis,
Ars bene fida priùs, nec bene fida manet.
Ne mirare, fidem quòd & ars ſua fregerit illi:
Namque datam Chriſto fregerat ille fidem.

[a] Lege epitaph. typogr. in art. typogr. querimon. 1569.

Hæc carmina ſatyram magìs quàm epitaphium ſapiunt. At Henrici ingenium erat paulò moroſius, & nunquam aſperius, quàm cùm in religinem Romanam inveheretur. His tamen ſi intelligi velit Morelium Calviniſtam fuiſſe meliorem diligentiorémque typographum quàm Papiſtam, à vero næ aberrat procul, ſtudio partium raptus; veritatíque editiones ipſæ ſuffragantur tam ultimæ quàm primæ, quarum [a] nitorem Stephanus non ſemper æquaverit, nunquam ſuperaverit. De tempore, quo à Calvini partibus ad Romanam eccleſiam tranſierit, nihil habeo, quod afferam, præter conjecturam. Anno 1552°, Turnebus regius typographus cum eo artis inivit conſortium; & ſi tunc proteſtantium cauſam nondum deſeruerit, certè anno 1556, cùm in Turnebi mortui locum ſufficeretur, ejuravit Calviniſmum: neque enim fit mihi veriſimile aliam, quàm Romanam, religionem profiteri potuiſſe, qui ad regii typographi munus exercendum tunc admitteretur. At verò ſi editiones, quas poſt annum 1556 multas dedit, diligenter ſingulæ examinentur, & cum quâvis priorum comparentur, pro certo affirmo non unam fore, quæ ab illarum pulchritudine degeneret; & plures inter illas inventum iri, quæ ab his elegantiâ longè vincantur. Si autem verba hæc ad miſerias, in quas Morelius incidit, referenda ſint; iniquiſſimus eſt judex, qui res ex fortuito even-

[a] Menag. Anti-baill. tom. 1. pag. 251. Guillaume Morel n'imprimoit pas moins bien en Grec & en Latin, ni moins correctement, que Robert Etienne le plus excellent & ſçavant imprimeur de France.

tu

tu æſtimat: cùm nihil ſit frequentius, quàm bonos magnis & multis incommodis conflictari, malos opibus & copiis affluere. Henrici profectò *ultima primis* minimè *reſpondent*, imò toto diſcrepant cœlo, ſi [a] Anacreontem & [b] Æſchylum cum [c] Memnone contuleris: nec ſi ſpectes fortunam, *ars ſua* magìs Stephano *fida permanſerat* quàm Morelio; cùm hic obæratus domi, ille [d] opibus & ingenio deſtitutus in noſocomio deceſſerit.

Quæ hìc adjeci, non ſcripta ſunt, quòd huic magìs quàm illi faveam; neque in illius contumeliam, ſed in hujus defenſionem. Utriuſque artem & doctrinam in precio habeo, induſtriam & laborem miror; doleóque viris de orbe literato tam bene meritis exitum adeò calamitoſum contigiſſe.

Gulielmo Morelio frater fuit [e] Johannes, libri *de diſciplinâ & politiâ Chriſtianâ* author, religionis causâ Pariſiis crematus.

Gulielmi Vidua poſt conjugis obitum, domeſticæ rei anguſtiis nihil conterrita, per biennium libros aliquos curavit excùdi, iiſdem typis, & inſigni aliquando [f] regio, aliquando [g] Moreliano ornatos; regium [h] privilegium anno 1565 in ſexennium impetravit; anno 1566, Homeri (cujus Iliadem anteà 1562 Morelius) Odyſſeam Græcè edi-

[a] Anno 1554. [b] 1557. [c] 1594. [d] Toll. de infœlic. literator. [e] La Caille. pag. 124. [f] Lambin. orat. de laudib. liter. 1564. [g] Comment. de verb. anomal. 1566. [h] Ariſtotel. de morib. Latinè 1565.

dit;

dit; & demum, ut ſuæ familiæ damna reſarciret, [a] Bene-nato (de quo poſtea dicetur) nupſit.

[b] Stephanus Prævoſtæus fuit Gulielmi Morelii gener; ſe enim [c] ejus hæredem appellabat, eodémque [d] ſymbolo typographico utebatur.

[a] Lege poſtea in vit. Bene-nat. [b] Menag. Anti-baill. tom. 1. pag. 253. & la Caille pag. 171. Il avoit la méme marque que Guillaume Morel, dont il avoit épouſé Jeanne ſa fille. [c] Baſil. magn. de honore parent. ann. 1581. è typographiâ Steph. Prævoſtæi, hæredis Guill. Morelii in Græcis typog. reg. in ædibus Joan. Bene-nati, in clauſo Brunello. [d] Epiſtol. Baſil. de ſolitud. 1581. Ariſtoph. Iren. 1589. Phocylid. 1602.

VITA

VITA

ADRIANI TURNEBI.

[a] ADrianus [b] Turnebus (Gallicè *Turnebe* vel [c] *Tournebeuf*), maximum ætatis ornamentum, [d] Andelii ad Sequanam familiâ nobili, ſed in tenui re, anno [e] 1512, natus eſt.

[a] Jac. Aug. Thuan. hiſtor. lib. 38. pag. 352. edition. Genev. 1620.
[b] Nominis hujus penultima aliquando corripitur, aliquando producitur. Lege epitaphia in illum ſcripta 1565. Ipſe ſe ſcribebat Τέρνηβον in epiſtolis præfixis Philoni, Æſchylo, Syneſio, Sophocli, Clementi. Gulonius in verſibus ante adverſar. & Aurelius in epitaph. Τέρνηβον *Tornebum*. Henr. Stephanus in Herodot. 1566. *Turnebum* Τέρνηβον. Joachim. Bellaius, in Turnebi tumul. ann. 1565, ſic alludit ad ejus nominis notationem.

Nil niſi limatum profert, atque arte politum;
De facili torno quàm bene nomen habet.

[c] Teiſſier dans ſes eloges; *Turnebeuf* la Caille de l'imprimerie pag. 129.
[d] Gallicè *Andely* Teiſſier. & la Caille. Scævol. Sammarthan. elog. lib. 2. Adrianum Turnebum ſingulare ſui ſæculi decus produxit Andelia Rothomagenſis agri oppidulum tanti viri natalibus in poſterum nobile. [e] Nam mortuus eſt ann. 1565. natus annos 53. utì poſtea dicetur.

[a] Unde-

[a] Undecennis venit Lutetiam: ubi adeò profecit in literis, ut non modò condiſcipulos, ſed & ſuos præceptores, Jacobum Tuſanum, Gulielmum Groſſium, & Gulielmum Quercetanum, citò antecelleret; ídque eò faciliùs, quia eum natura eximiis dotibus inſtruxerat. [b] Tenaci enim nihil unquam excidebat memoriæ. Acuto ingenio, acri ſubtilíque judicio ad ima uſque literaturæ adyta penetrabat; ſuíque animi radiis locorum in authoribus difficíllimorum tenebras diſcutiebat. Adhæc indefeſsâ, quicquid ardui laboris erat obvium, ſupera-

[a] Teiſſier elog. ex Leodeg. à Querc. orat. funeb. in Adrian. Turneb.

[b] Ex Joan. Caſſel. epiſt. edit. 1687. pag. 421. *Il n'y avoit point d'homme plus integre, plus ſçavant & plus eloquent; il etoit doué d'une grande humanité, il avoit un excellent eſprit, une memoire incroyable, un jugement exquis; il entendoit les langues primitives* &c. *comme il connoiſſoit toute l'antiquité, il a mieux reuſſi que les autres critiques à corriger les ecrits des anciens. Il n'y a point de partie de la philoſophie, en laquelle il n'ait penetré par la ſubtilité de ſon eſprit* &c. ex Sciopp. conſultat. pag. 39. edition. 1665. *In criticorum genere familiam ducunt, inter Italos Fulvius Urſinus, inter Hiſpanos Petrus Ciacconius, inter Gallos Adrianus Turnebus, inter Germanos Juſtus Lipſius.* Mauſſac. in judic. de Plutarch. in libell. de mont. & flumin. pag. 159. edition. 1615. vocat *eruditorum ſui ſæculi ſinè controverſiâ coryphæum.* Joach. Camerar. in proœm. Cic. de natur. deor. dit que *quelque magnifiques que puiſſent étre les eloges qu'on donnera à Turnebe, ils ſeront toujours au deſſous de ſon merite.* Guill. Xiland. epiſt. dedic. Horat. aſſure *que la France n'a point produit d'homme plus docte & d'une plus grande induſtrie.* Montaigne dans ſes eſſais. liv. 1. chap. 24. *J'ay veu Adrianus Turnebus, qui n'ayant fait autre profeſſion que de lettres, en laquelle c'étoit, à mon opinion, le plus grand homme, qui fût il y a mil ans, n'ayant toutesfois rien de pedanteſque que le port de ſa robbe, & quelque facon externe, qui pouvoit n'étre pas civiliſée à la courtiſane. —— Au dedans c'étoit l'ame la plus polie du monde. Je l'ay ſouvent à mon eſcient jetté en propos eſloignés de ſon uſage; il y voyoit ſi clair, d'une apprehenſion ſi prompte, d'un jugement ſi ſain, qu'il ſembloit qu'il n'eut jamais fait autre meſtier que la guerre & affaires d'état.* Et liv. 2. chap. 17. *Adrianus Turnebus ſçavoit plus, & ſçavoit mieux ce, qu'il ſçavoit, qu'homme qui fût de ſon ſiecle, ni loin au dela.* Lipſ. epiſtol. ſelect. centur. 1. epiſt. 20. —— *quouſque ſcribimus iſtis? —— da, quod in ſinu tenere Scaligeri poſſint & Turnebi.*

bat

bat induſtriâ. Eâ conſtantiâ perſeverantiâque ſtudiis inhærebat aſſiduus, ut à muſæo vix unquam poſſet avelli. [a] *Certum eſt, eum, utì antea Budæum, ipſo nuptiarum die bonas aliquot horas ſtudiis impendiſſe.* [b] Ejus fama totum orbem literatum ità jam pervaſerat, ut Itali, Hiſpani, Luſitani, [c] Germani, Anglíque, honeſtis, quæſtuosíſque conditionibus ad ſe certatim pertrahere conarentur. Sed maluit tenuiter in patriâ, quàm opulenter apud exteros vivere.

[d] *Ejus præcipua in docendo laus fuit, dum Tolosâ, ubi profitebatur,* [e] *Lutetiam revocatus, & Jacobo Tuſano* [f] optimo linguæ Græcæ doctori anno 1547 *vitâ functo ſucceſſor appellatus,* annos circiter 35 natus, *diſcipulis, qui ab ultimis orbis terræ partibus frequentiſſimi ad illum audiendum concurrebant, reconditæ antiquitatis theſauros omnes mirâ quâdam facundiâ deprompſit.* Neque hic prætereundum eſt illius diſcipulum fuiſſe [g] Henricum Stephanum;

[a] Naud. de ſtud. liberal. in Cren. concil. ſtudior. pag. 588. edition. Roterd. 1692. 4to. [b] Conſule pag. 48. in not. (a). [c] Etien. Paſquier. Recherches de la Franc. liv. 9 chap. 18. edition. Pariſ. 1621. *J'ay autrefois appris de trois Allemans, qu'en pluſieurs endroits d'Allemagne, lors que ceux, qui étoient en chaire, alleguoient Turnebe & Cujas, auſſi tôt ils mettoient la main au bonnet, pour le reſpect & l'honneur, qu'ils portoient à leur memoire.* Joſeph. Scaliger. epiſtol. lib. 1. pag 55. edition. Francof. 1628. *Non miror hæc eos* [Etruſcos] *de me pronunciare, qui Adrianum Turnebum non humaniùs acceperunt: cùm eum barbarum pronunciârunt, quòd juſtum librum miſcellaneorum in unum caput conjicere ſoleat, neque admodum ὅτι τῇ φακῇ μύεσν quærat.* [d] Scævol. Sammarthan. Elog. lib. 2. [e] Abbregé de l'hiſt. de France par Mr. de Marolles Abbé de Villeloin pag. 324. *Trois des plus ſçavans hommes du monde enſeignoient en meme tems les lettres humaines à Paris dans un College appellé* le Cardinal le Moine; *car Turnebe y faiſoit la premiere claſſe, Buchanan la ſeconde, & Muret la troiſieme.* [f] Thuan. hiſtor. ad ann. 1547. [g] Lege ejus epiſtol. initio Herodot. Latin. 1566.

cujus cùm tanta fuerit in Græcis literis peritia, quantum illum eſſe oportuit, cui ipſum debemus!

Turnebus, [a] *ut publico prodeſſet, typographiæ Græcæ regiæ curam non dedignatus*, hanc anno 1552 provinciam accepit, quam Gulielmo Morelio viro doctiſſimo artíſque hujus peritiſſimo in partem laboris advocato per quadriennium ſummâ cum laude adminiſtravit; libróſque regiis typis & typographico ſymbolo regio adornatos edidit pro brevi, quo eo munere functus eſt, tempore multos & optimos. Eorum, quæ vulgavit, pleraque aut nunquam antea aſpexerant lucem; aut reſtituta, aucta & emendatiora prodierunt. Illo accurante, eruditi primùm legerunt Græcè, [b] Philonem Judæum, [c] Syneſii opuſcula, [d] Demetrii in Sophoclem ſcholia è codice Æmari Ranconeti deſcripta, [e] Clementis de rebus S. Petri geſtis epitomen è Nicolai Mallarii bibliothecâ deſumptam, [f] Apolinarii Metaphraſin pſalmorum; Latinè, authores [g] de agrorum conditionibus & conſtitutionibus limitum [h] in divi Bertini apud Audomari Phanum bibliothecâ inter multa veneranda vetuſtatis monumenta inventos ab ipſo & [i] Petro Gallandio, *cùm ante annos decem* (id eſt anno circiter 1543), *pace inter Caro-*

[a] Thuan. hiſtor. pag. 288. edit. Genev. 1620. [b] 1552. [c] 1553. [d] 1553. [e] 1555. [f] 1552. [g] 1554. [h] Lege epiſtolam Gallandii illis authoribus præfixam. [i] Neſcio, an affinitas nominis locum dederit opinioni eorum, quos Teſſerius in elog. ſcribit putare, quòd Turnebus in horum authorum editione à Petro Caſtellano adjutus fuerit.

lum

lum Cæſarem & Franciſcum regem ſancitâ, Belgicæ occidentalis aliquot oppida perluſtrarent, & in ſingulis monaſteriis libros veteres, veluti canes ſagaces in luſtris feras, diligenter conquirerent.

Philonem, Apolinarium, Æſchylum, Syneſium, Hephæſtionem, Sophoclem, Hephæſtionem, Homeri Iliadem, Ariſtotelis Ethica variantibus lectionibus ornavit; & [a] Oppianum, [b] cujus Cynegeticos libros *ſeptem abhinc annis leviter emendaverat, partim animi conjecturâ, partim libri veteris ope eas emendationes* [c] *quidam uſurpaverat, & ſibi donaverat, quas tamen non putabat tanti, ut in furtivis rebus eſſe deberent. Eas ab ipſo vindicatas & recuperatas eſſe nemo conqueri debebit.*

Turnebus ipſe in plagii, cujus alium hìc inſimulat, ſuſpicionem aliquando incidit. [d] Lambinus enim ſibi ſuos in Ciceronem commentarios ab illo ſubreptos queritur: [e] Muretus etiam eandem intentat litem, quamvìs fateatur eum *immensâ quâdam doctrinæ copiâ inſtructum, ſed interdum nimis properè & nimis cupidè amplexari ſolitum ea, quæ*

[a] Ann. 1555. [b] Lege ad calcem libri. & Colomeſ. in Gall. oriental. edit. 1665. pag. 83. ex epiſtol. Jacob. Bongarſii ad Conr. Rittershuſium. *Erat mos Bodini, quæcunque de exteris à circumforaneo quolibet audiret, ea abſque aliâ curâ notare & publicare. Jam edidiſſe illum lectiones Turnebi in Oppianum pro ſuis nemo noſtrorum ignorat.* [c] Turnebus de vitio dixit, perſonæ pepercit. [d] Teiſſier elog. citat id ex epiſtol. Lipſ. [e] Thomaſ. de plag. literar. num. 568. hæc habet. *Adrianus Turnebus occaſione loci cujuſdam Terentiani, quem à Donato diſcedens parum dextre interpretari viſus erat, ſuper aliis quinque partim emendationibus, partim expoſitionibus accuſatur à Mureto, ſibi omnes & his etiam plures ſibi vindicante, annorúmque decem, viginti, triginta, quibus talia prior Turnebo tradiderit, intervalla pro ſe allegante, &c.*

ſibi in mentem venerunt; ac *tantum in literis fuiſſe, ut ſuo quodam jure* ipſius (ſcil. Mureti) *omnia ſibi vindicare potuiſſe videatur*; addítque inſuper, quòd *Turnebum & amaverit ac coluerit vivum, & ſe ſemper ab eo amari ſenſerit.* Has verò calumnias aut potiùs cavillationes ineptas à Turnebo amolitur Lipſius; Thomaſiúſque elevat omnes *ejuſmodi ſuper minutiis dimicationes.* Credo equidem ab invidiæ quâdam umbrâ magìs quàm à verâ causâ ortas fuiſſe. Muretus enim eum [a] laudibus ſæpe afficit: Lambinúſque non modò [b] *viris ingenio doctrinâque præſtantibus* annumerat; ſed & ſuas in Lucretii quintum librum commentationes ei [c] *deſpondet collegæ ſuo & præter collegii ipſius neceſſitudinem amiciſſimo*, eúmque prædicat *in arithmeticis, geometricis, aſtronomicis, muſicis valde exercitatum; præſtantiſſimum ætatis philoſophum; Romanæ antiquitatis ſcientiſſimum; linguam Græcam ita callere, ac ſi in locis, in quibus florebat, natus eſſet*; in poëtis, hiſtoricis, oratoribus verſatiſſimum; *incredibili memoriâ, ſtudio ac diligentiâ, acumine & ſolertiâ* &c. & [d] *ne hæc fingere aſſentandi causâ videatur, non veretur; cùm & ii, qui ejus ſcripta legerunt, & ii, qui eum aliquando audiverunt, ſciant & ſentiant iis, quæ quiſquam dicendo conſequi poſſit, multò & majora & ampliora.*

[a] Lege, quid Muretus de Turnebo ſcripſerit in var. lection. lib. 18. cap. 29. [b] Lege epiſtol dedicator Horatio præfix. [c] In epiſt. dedic. datâ 1563. prid. id. Sept. [d] Lege, quod priùs ex Joachim. Camerar. allatum eſt pag. 48. (b)

Turnebus

Turnebus cum [a] Ramo acres exercuit inimicitias; [b] eique Audomarus Talæus exprobrat peſſimam maledicendi artem: excuſat tamen [c] Stephanus Paſquier, quod non niſi in meritos eſſet in ſatyrâ violentior; in cujus confirmationem affert lepidam quandam [d] epiſtolam (titulo *Ego Tibi)* contra Petrum Paſcalem conſcriptam.

[a] Vit. Petr. Ram per Freigium in initio Pet. Ram. prælection. in Cicer. edition. Baſil. 1580. pag. 34. Ramus *adversùs calumnias doctorum quamlibèt & eruditorum hominum perpetuum ſilentium juraverat. Nil Goveano, Gallandio, Perionio, Turnebo reſpondit.* Ejuſd. vit. per Nancel. apud Cl. Morell. 1601. pag. 41. *Hoc adjiciam mihi compertiſſimum. Cùm Adrianus Turnebus orationem invectivam & planè injuriam in Ramum edidiſſet, levi de causâ irritatus: Ramus, qui nullis unquam adverſariorum ſcriptis & calumniis reſponderat, ſed philoſophicâ conſtantiâ quamlibèt acerbas injurias diſſimulando tacitus pertulerat, nactus adverſarium, velut Entellus Daretem, ut putabat, ſuâ reſponſione dignum (fuit enim Turnebus ſuo ævo profeſſorum regiorum in Græcis literis facilè primus, atque in multiplici diſciplinarum genere feliciſſimè verſatus) ac velut antagoniſtam, quocum luctari glorioſum judicaret; per totum biduum triduúmve perdius ac pernox Turnebo reſpondit, ſuâque manu & ingenio reſponſionem argutam ſalsámque breviſſimo temporis ſpatio ſcripſit compoſuítque, quam ego pari celeritate percurri, adpunxi, deſcripſi, & typis mandavi, apud Wechelum pernoctans, quò die nocteque opus urgerem. —— Hoc opus concitatiſſimum Ramus ſub Talæi nomine divulgavit; cujus ille ne paginam quidem (niſi quòd ſales quoſdam atque jocos admiſcuerat, ut erat verus εἴρων) integram conſcripſerat; & hoc ſolus ego nunc ſuperſtitum conſcius aſſevero; tres enim ſoli hujus rei fueramus conſcii.* Nec mirum eſt, ſi Nancelius Rami diſcipulus præceptoris partes tueatur. [b] Sub Audomari Talæi nomine Ramus ſuam ad Turnebum admonitionem, & Turnebus ſub Leodegarii à Quercu, ſuas animadverſiones in Rullianos Rami commentarios, & reſponſionem ad Talæi admonitionem texit: in quâ hæc leguntur fol. 7. *Tuſanum laudas, & ex ejus laudatione Adriano invidiam conflare ſtudes: nemo ſanctiùs memoriam ejus complectitur ac colit, quàm Adrianus; qui, cùm profeſſionem, in demortui locum ſuffectus, auſpicaretur, tam multa in ejus laudem dixit, ut vivos ſenſerit nonnullos eſſe, qui mortuis inviderent.* [c] Lettr. tom. 1. lib. 9. pag. 558. [d] Proſopograph. de Verdier. liv. 8. pag. 2508. —— *ou il depeint de ſes couleurs un ſavoir de courtiſan, & dit, que ceux, qui à la cour veulent paroitre & parvenir par les lettres, devant les ignorans ſont des ſavans, & devant les ſavans ſont les courtiſans pour ſe tenir en reputation.*

Item

Litem inter Turnebum Ramúmque componere non tanti esse arbitror; neque sollicitus sum, ne apud eruditos Turnebus pejùs audiat, quòd, Ramo uno excepto, omnibus placuerit. Nimius essem, si hìc recensèrem elogia de illo versibus à [a] Michaële Hospitalio, [b] Joachimo Bellaio, [c] Carolo Utenhovio, [d] Henrico Stephano aliísque compluribus decantata. Sufficiat appositisse [e] Jacobi Augusti Thuani (unius instar omnium) verba. *Cùm Adrianus Turnebus ad Godofridum Faium, quem diligebat, venisset; & Thuanus à Faio ad eum salutandum deductus esset; ex eo tam altè imago celeberrimi viri hæsit, ut, cùm paulò pòst in vivis esse desiisset, ea dormienti continuò obversans ex ejus animo nunquam deleri potuerit.*

Sed illuc, unde diverteram, redeo; ad typographicas Turnebi lucubrationes: ex quibus apparet neminem tam breve, quod huic arti impendit, tempus utiliùs collocâsse; neminem, arduis Græci professoris & typographi muneribus junctis, opera excudi digniora elaborâsse, & elaborata digniùs excudisse.

Si cui libitum fuerit aliquid ex Græcis ejus exercitationibus degustare, legat elegantes in libris, quos impressit, epistolas eâ linguâ ad [f] Cardinalem Lotharingum, [g] Michaëlem Hospitalium, [h] Lancilotum Carlum episcopum Regiensem, [i] Æmarum Ranconetum, & [k] Nicolaum Mallarium scriptas:

[a] Hospital. sermon. pag. 285. [b] Bellai. xen. ann. 1569. fol. 12. [c] Lege initio Turnebi oper. in fol. [d] Epitaph. typograph. illustr. & initio Herodoti Latini. [e] Thuan. de vit. suâ lib. 1. pag. 5. edition. 1621. [f] Philo. [g] Æschyl. [h] Synes. [i] Sophocl. [k] Clement.

in

in illis nihil Attici mellis aut [a] ſalis deſiderabit. Eum porrò Latiæ non minùs quàm Cecropiæ Minervæ artibus maduiſſe oſtendent Latinæ ad [b] Stephanum Poncerium Turonum archiepiſcopum, [c] principem Margaretam Valeſiam, cardinales [d] Lotharingum & [e] Caſtilionæum, [f] Carlum epiſcopum, [g] Petrum Montaureum, Petrum Daneſium, [h] Petrum Gallandium, & [i] Gulielmum Pellicerium literæ, [k] variique tractatus; ex quibus apparebit illi non defuiſſe Latini & puri ſermonis lepores, & facetias. Spartam enim, quam nactus erat, ornare; Græcaéque cathedræ & præli munia obire non contentus: in Latinorum [l] authorum, præcipuè [m] Ciceronis explicatione frequentiſſimus verſabatur. Denique cùm perfecta linguæ utriuſque peritia nullâ magìs in re ſpectetur, quàm ubi quid è Græco in Latinum convertatur; varias examinemus Turnebi [n] interpretationes: & eum affirmabimus fuiſſe [o] *literatiſſimum & omni laude ornatum interpretem, qui & Græcè luculenter ſciebat, & Latinè ſcitiſſimè convertebat, preſſus & adſtrictus, ab auctore nuſquam digrediens*; cujus erat *ſuavis interim & perlucens oratio.*

[a] Lege epiſtol. Græc. ad Carl. epiſc. inſert. in medio reſponſionis ad Talæum. [b] Theophr. de ign. [c] Theophr. de odorib. [d] Plutarch. de oracul. defect. [e] Cic. de legib. [f] Apolog. ad lib. de legib. [g] Plutarch. de prim. frig. & joc. Cicer. [h] Plutarch. de procreat. anim. [i] Præfat. Plin. in hiſtor. [k] Apolog. ad lib. de legib. diſputat. ad lib. Cic. de fat. reſponſ. ad Tal. &c. [l] Annotat. in præfat. Plin. nat. hiſt. comment. in Quintil. inſtitut. La Caille, p. 129. [m] Comment. in orat. pro Rabir. & academ. quæſt. lib. 1. de fat. & joc. Cicer. & de legib. [n] Theophr. oper. var. & Plutarch. oper. var. & (Teiſſ. elog.) Philo de vit. Moſ. & Demet. Pepagom. Il a traduit en Grec les paradoxes de Ciceron. [o] Huet. de interpret. pag. 158.

Inter

Inter ejus ultima typographiæ opera elucet Aristotelis de moribus [a] editio anno 1555 in folio, duabus in singulâ paginâ columnis Græci textûs Latinaéque versionis collateralibus expressa.

Postquam itaque quadrimam regii præli curationem expleviſſet, ſuáſque in omni re literariâ facultates ſatis jamdiu ſpectandas dediſſet; in regiorum profeſſorum collegium anno 1555 exeunte [b] cooptatus, Gulielmum Morelium ſuum impigrum ὁμότεχνον καὶ ζωεργὸν, cujus doctrinæ ſolertiaéque certiſſimum fecerat experimentum, nominavit ſibi in typographiæ regiæ adminiſtratione ſucceſſorem : dignum profectò Herculem, qui in locum Atlantis ſufficeretur; nec tamen feſſi, quíque oneri diutius ferendo impar eſſet; ſed qui curam mutare, non finire vellet; typographúſque eſſe haud alio animo deſineret, quàm ut regius philoſophiæ & Græcarum literarum profeſſor majores labores exantlaret.

Non citiùs aliorum opera ceſſaverat excudere, quàm aliis typographis Morelio Vaſcoſanóque ſua ſtatim ſubmiſit imprimenda. Quàm uberem doctiſſimorum in optimos authores, [c] philoſophos & [d] oratores commentariorum produxit meſſem!

[e] *Dum bonis quietíſque temporibus literæ florebant, pauca quædam è ſcriptoribus leviter tantùm ſelegerat, & in adverſaria retulerat. Deinde cùm*

[a] Hanc laudat Chevillier pag. 239. [b] Thuan. hiſt. lib. 36. pag. 288. [c] Theophr. de odorib. & Plutarch. de oracul. defect. & præfat. in Plin. natur. hiſtor. apud Vaſcoſ. 1556. [d] Cicer. de fat. apud Vaſcoſ 1556. joc. Cicer. apud Gul. Morel. 1555. [e] Lege epiſtol. dedicat. tom. prim. adverſarior.

exitiali

exitiali furore effrænati cives arma rapuissent nefaria, patriæ tum fata gemens levationem dolorum sibi è literis petendam esse duxit. Sed cùm seria tum studia animus ob patriæ cadentis interitum refugeret, per scriptores elegantiores ultro citróque cursitare vel volitare cœpit, & ut quemque librum prehenderat, quicquid ex tempore subitóque in mentem veniebat, tumultuariâ scripturâ comprehendebat; interdum repetitâ memoriâ, quæ in diversis authoribus legerat, unum in caput congerebat: nonnunquam è chirographis editiones falsi convincebat: modò in corrigendo conjecturæ dabat, & ei impensiùs liberiúsque indulgebat: quod errores eo tempore existimaret audacter tolli posse, quo homines impune sciebat necari. Interdum oblitus, quid antè annotâsset, illud idem in aliâ chartâ iterabat, omnia quidem ferè velut folia Sibyllæ non in numerum digesta sed nullo delectu ordinéque descripta [a] *[quod & ipse de se liber vel me tacente indicabit, temere inconditéque] scribebat, & in pulverem sitúmque abjiciebat: quâ tamen in re hoc semper religioséque servavit, ne sibi per cujusquam injuriam videretur unquam famam quærere voluisse: eam enim verecundiam pudorémque adhibuit, ut homines doctos sæpenumero laudaverit, & honorificè appellaverit, nunquam vituperaverit aut reprehenderit.*

Hanc operam, quæ in duodecim adversariorum libros succreverat, Michaëlis Hospitalis Franciæ cancellarii nomini nuncupavit anno 1564. Idib. Quintil. præfixâ elegantissimâ epistolâ adjectóque

[a] Turnebo-mastiges non possunt de his adversariis abjectiùs sentire, & loqui, quàm author ipse modestissimus.

ad eundem poëmatio, quod inſcripſit *ſylvam*; ex quo, alióque in immaturum Georgii Bonæ obitum [a] carmine, intelliget lector eum in ſermone tam metrico quàm ſoluto præcelluiſſe. His adverſariorum libris (quos [b] conqueritur *ſubitâ & repentinâ operâ confectos & penè, immaturo abortu, antè in lucem editos quàm ſatos atque conceptos*) anno proximo 5 Cal. Maii totidem additos Errico Memmio ſupplicum libellorum in regiâ magiſtro dedicavit: quibus præmiſſam epiſtolam quicunque perlegerit, dubitet ſcripturaéne elegantiam magis miretur an ſcriptoris modeſtiam. In eâ profitetur ſe *neque ſua magnopere venditâſſe neque aliena ſibi adſcripſiſſe, ſed ſuis authoribus, ne furtum faceret, reddidiſſe:* confirmátque ſe à plagii, cujus nonnulli eum [c] arguere auſi ſunt, vitio abhorruiſſe. *Magnam* præterea, quæ *huic libro intervenit*, deplorat *calamitatem. Nam cùm exemplar ejus ſubitum & tumultuarium multis eſſet locis deletum, inculcatum, tranſpoſitum, malè ſcriptum, operæ librarii in tranſcribendo ſæpenumero manum adſequi non potuerunt, & ferè toto eo tempore, quo excuſus eſt liber aut exſcriptus, lentâ quâdam morbi tabe hunc miſerum in modum excruciantis, ac ne tunc quidem (cùm hanc epiſtolam ſcriberet) dimittentis laboravit: quo factum eſt, ut qui aliquas mendas aliorum auctorum delere voluerit, ultro* (animadverte ſummam viri verecundiam) *ſegetem errorum in ſcriptis ſuis obſeverit.*

[a] Lege orat. duas funeb. Sambuci. Pariſ. 1561. [b] Lege epiſtol. dedicator. [c] Lege priùs pag. 58.

Quàm

Quàm verè *brevem immodicis ætatem & raram esse senectutem* obſervavit [a] Romanus epigrammatum ſcriptor! Quantum literarum ſors nobis invidit, cùm in medio vitæ laborúmque ſtadio interruperit Turnebum, [b] *ſingulare ſui ſæculi decus*, [c] *virum omni virtutum omniúmque literarum genere inſtructiſſimum, qui politioris initio literaturæ Græcæ ac Latinæ, dein philoſophiæ in ſcholâ Pariſienſi profeſſor regius plurima raræ eruditionis monumenta edidit; & præmaturâ tandem morte ſtatim poſt edita illa æternitate digna adverſaria, ſummâ omnium ordinum, ad quos univerſos unius mors pertinere viſa eſt, mœſtitiâ rebus humanis exemptus eſt anno* 1565, *prid. Eid. Jun. cùm tantùm annos* 53 *vixiſſet. Hujus corpus, quo die mortuus eſt, utì teſtamento mandaverat, paucis amicis illud deducentibus, nullâque funebri pompâ in ſcholaſticorum cœmeterio horâ nonâ veſpertinâ conditum eſt, ubi ſepulturæ locum delegerat; quo etiam loco præſtanti doctrinâ medicum Jacobum Sylvium collegam paucis antè annis ſepeliri voluiſſe meminerat.*

Quemadmodum boni omnes ac literati vivum ſummopere dilexerant, ita in eo mortuo laudando incredibili æmulatione certârunt. Et quidem ei [d] *Johannes Auratus, Dionyſius Lambinus profeſſores regii, Petrus Ronſardus, Germanus Valens P. P. Joannes Paſſeratius, Alphonſus Delbeneus, qui poſtea epiſco-*

[a] Martial. epigr. lib. 6. epig. 29. [b] Scæv. Sammarth. elog. lib. 2. [c] Jac. Aug. Thuan. hiſtor. lib. 38. pag. 352. edition. Genev. [d] Lege Jo. Paſſer. eleg. & Lambin. næn. & Leodegar. à Querc. epiced. & tumul. Adr. Turneb. apud Feder. Morell. ann. 1565. Henr. Stephan. Epitaph. ann. 1569.

pus Albienſis fuit, Nicolaus denique Vergetius Angeli illius Cretenſis elegantiorum linguæ Græcæ characterum ad omnem admirationem & oculorum jucunditatem formatoris filius, diversâ parte Joannes Mercerus, Lucas Fruterius, alii, epitaphiis carminibus parentârunt.

ADR.
TVRNEBO
VIRO OMN.
VIRT. OMN. Q.
LIT. GEN. INSTRV-
CTISS. ATQVE OR-
NATISS. PHILOSOPHIÆ
IN SCHOLA PARIS. PRO-
FESS. REGIO CLARISS. JO.
AVRATVS, DION. LAMBINVS
EIVS COLL. P. RONSARDVS,
GERM. VAL. PIMPVNTIVS,
JO. PASSERATIVS, ALPH.
ELBENÆVS, NIC. VERGE-
TIVS, HVNC E GR. LAT.
GALL. CARM. TVMVL.
MÆR. EXCITARUNT,
XIIII. KAL. QUINCT.
ANNO A CHR. N.
CIↃ. IↃ LXV.
VIXIT ANN.
LIV.

Non

Non quæ, Nile pater, ſuperba cernis
Altis marmora nubibus minari,
Sculptum aut Phidiacâ manu ſepulchrum:
Turnebi placet oſſibúſque & umbræ,
Muſarum tumulus politus arte.
Jo. Paſſ.

[a] *Staturâ fuit mediocri, facie honeſtâ, probis moribus, accedente ad cæteras virtutes incredibili modeſtiâ; ut æmuli ſubinde per opprobrium illi objicerent, quòd vultum virginali pudore demiſſum gereret; cùm tamen ſub verecundo ejus ore latentem generoſi ſpiritûs indolem ipſi quoque experirentur. Is pauca ſcripſit, ſi hominis eruditionem ſpectes; totius enim Galliæ doctiſſimus merito ſuo judicatur. Ea, quæ ſcripſit, ejuſmodi ſunt, ut auctoris decus atque dignitatem præ ſe ferant. In poëmatiis ſublimis eſt atque acutus, in oratione ſolutâ terſus atque elegans.* [b] *Ut* autem *erant tunc ſciſſa ob religionis novos motus ſtudia, mortuum*

[a] Scævol. Sammarth. elog. lib. 2. [b] Jac. Aug. Thuan. hiſtor. lib. 38. pag. 352. edition. Genev. Teiſſier dans ſes eloges edit. 1716. *Le Laboureur dans ſes remarques ſur Caſtelnau Mauvifſiere tom. 2. p. 225. rapporte des vers faits à la louange de Poltrot, qui tua le duc de Guiſe, attribués à Turnebe, dont le ſtile a beaucoup de rapport avec celui de ce fameux poëte. Si cela eſt vray, il ne faut pas douter, qu'il ne fut de la religion des proteſtans. Il eſt dit dans une lettre à la fin des ouvrages de Turnebe imprimées à Strasbourg, que ce ſavant homme en mourant aſſura, qu'il deteſtoit la doctrine de l'Egliſe Romaine.* & Philar. Calan. de Turneb. mort. *Cinq jours avant ſa mort, ſes amis lui ayant demandé ſon ſentiment touchant les controverſes de ce tems là, il dit, qu'il rejettoit toutes les ceremonies des Catholiques Romains, qu'il avoit de l'averſion pour la doctrine des papes, & qu'il croyoit, que la veritable religion étoit celle, que Jeſus Chriſt & ſes apôtres avoient enſeigné. Il ajouta, qu'il apprehendoit, que ſa femme ne le fit enſevelir ſuivant la coutume obſervée par l'Egliſe Romaine. Pendant ſa maladie il ne voulut voir aucun prêtre ni aucun medecin.*

tuum quisque vindicabat, dum simul & antiquæ religionis retinentes & novam profitentes, ad utras partes moriens ille inclinâsse diceretur, multum momenti partibus suis allaturum fuisse credunt.

Uxorem duxerat [a] Magdalenam Clement; ex quâ *reliquit moriens* [b *plures*] [c] *tres filios Odonem, Adrianum, & Stephanum, paternarum virtutum hæredes omnes certatim futuros, nisi fata invidissent, uno tantùm ex illis superstite : quem etiamnum* [scil. quum Scævola Sammarthanus hoc scriberet elogium] *gravissimo senatoris munere pari doctrinæ probitatisque laude fungentem Lutetia veneratur.*

Odo Turnebus post parentis obitum [d] anno 1566. Idib. Augusti. Michaëli Hospitali dedicavit Adriani patris in Varronem de linguâ Latinâ [e] commentarios, à Furdino & Daniele propè ex incendio ser-

medecin. Genebrard, qui avoit été son disciple, asiûre, qu'il mourut catholique. Gisbert Voetius cité par Cren. anim. philos. part. 5. p. 58, 59. le met dans le nombre de ceux, qui ont favorisé les protestans, & Martin Schookius dit la dessus, *aucun homme ne peut savoir ce qui etoit dans le cœur de Turnebe ; mais il est certain, qu'il avoit une tres forte aversion pour les Jesuites, desquels il parle dans un de ses poëmes en cette maniere.*

Quæ nova surrepit secta, & mentitur Iesum,
Dulce latrociniis prætendens nomen apertis,
Tartareis emissa vadis? &c.

Prosopograph. de du Verdier, à Lyon. 1605. liv. 8. p. 2508. *les Calvinistes ont semé le bruit, qu'il mourût en leur opinion, mais il deceda bon catholique.* [a] La Caille. pag. 129. [b] Scævol. Sammarthan. elog lib. 2. [c] Teissier, elog. & la Caille. [d] Lege epistol. ad lector. præfix. illis commentariis. [e] Jos. Scalig. in append. ad sua conject. in Varron. pag. 193. edit. 1573. Injuriam fecerunt Manibus eruditissimi & maximi viri, qui nescio quæ ejus ἀποπασματία vel potiùs abortiva quædam in Varronem ediderunt, quibus magis traduxerunt eum, quàm ejus nomen commendârunt.

vatos.

vatos. Idémque Odo edidit [a] anno 1571. patris commentarium in Horatii primum carminum librum, [b] quem Johannes Furdinus patri Adriano amiciſſimus inter defuncti adverſaria repertum & ex autographo deſcriptum emittere, morte præventus, non potuit.

Idem [c] Otho (utì ſcribit in epiſtol. dedicat. ad Stephanum Paſchaſium) *fratrum ſuorum ope & induſtriâ adjutus* patris commentarios in tres Ciceronis de lege agrariâ orationes, *velut è funere ejus raptas reliquias*, commiſit Bene-nato ann. 1576. excudendos.

Adrianus Turnebus, ut fratri ſuis in patrem defunctum promeritis non cederet, reſiduum & tertium adverſariorum librum anno 1572. 12 Cal. Jan. publicavit, [d] *poſthumum literarium fœtum, immaturo abortu relictum, nec ab authore iniquioribus fatis prærepto recognitum, matris tamen diligentiâ & patris amicorum operâ à ſitu liberatum*; & nuncupavit Chriſtophoro Tuthæo (id eſt, Thuano), cujus [e] *nomini jampridem devotus fuerat & conſecratus:* cuique in epiſtolâ præfixâ ſuos commendavit fratres *Odonem & Stephanum, qui legum & juris civilis ſtudia Tholoſæ tunc perſequebantur*, Lutetiam *tandem reverſuros*. Proximè poſt epiſtolam legitur carmen hendecaſyllabum, quo Thuani patrocinium erga viduam & orbos liberos & li-

[a] Lege privileg. [b] Epiſtol. ad lector. [c] *Duplex hujus nominis orthographia notanda eſt.* [d] Lege epiſtol. præfix. [e] In epiſtol. præfix. comment. Turneb. in Var. hæc leguntur. —— *Adverſariorum non exiguas reliquias: illius innocentis epiſtolæ comitatu ornatiores, quam tibi dicatam nonnulli lucem aſpicere paſſi non ſunt.*

bros,

bros, *quorum pars hæc intercíderat parum polita*, Auratus implorat. [a] *In* Turnebi *adverſariis tot veterum tum Græcorum tum Latinorum difficiles loci aut emendantur aut explicantur, ut dubium fecerit plúſne in eo ingenii an diligentiæ admirari debeamus.*

[b] Odoni, qui fuit curiæ monetalis præſes, ex ardente febri anno 1581, vitæ 28 menſe 9no defuncto, Adrianus frater natu minor carminibus Latinis & Gallicis apud Mamertum Patiſſonium anno 1582 excuſis exequias fecit.

[a] Scaligeran. pag. 145. edition. Groning. 1669. *Turnebus vir maximus erat, doctiſſimúſque, cujus adverſaria* abortivum fœtum *ſoleo nuncupare; potuit enim meliùs ſcribere: agnoſcas tamen genuinum partum Turnebi:* & p. 245. *Turnebus plura habet in uno libro, quàm Victorius libris* 37. & pag. 126. *les Italiens comme Victorius & Muret font un chapitre tout entier, en leur diverſes leçons, d'une petite conjecture, & ſe mocquent de Turnebe, qui a plus dans un chapitre, qu'eux en tout un livre.* Teiſſier. eloges. *Mr. de Saumaiſe diſoit, que ce livre n'étoit pas aſſés eſtimé. Muret l'eſtimoit infiniment, comme il le temoigne dans ſes diverſes leçons.* cap. 29. lib. 18. *Eſtienne Paſquier* Recherc. l. 7. c. 8. *Turnebe étoit admirable, tant en la langue Gréque & Latine, qu'en la connoiſſance de toute l'ancienneté, comme nous en rend certain temoignage ſon livre intitulé* adverſaria, *qui eſt un ouvrage inimitable en varieté de ſavoir.* Mr. Morhof Polyhiſt. l. 5. c. 1. n. 6. appelle les *adverſaria* de Turnebe *elegans & doctum opus.* Menag. Antibaill. tom. 1. p. 151. Turnebe n'avoit pas donné le titre d'adverſaria à ce livre, comme il paroit par cet endroit de ſon epitre dedicat. tom. 2. —— *Adverſaria, tum eum, imprudente me; ignaro, inſcio, eis præſcripſerunt titulum, qui arrogantiâ ſui & ſtultitiâ me perpetuâ traduceret apud omnes ordines infamiâ &c.* Je conjecture par la dedicate du tom. 1. & 2. que Turnebe avoit intitulé ce livre *obſervationes.* [b] La Caille. p. 130.

Hæc

Hæc [a] LIPSII ad ADRIANUM TURNEBUM ADRIANI f. legitur epiſtola.

MErum mel, non epiſtolam, à te, clariſſime Turnebe, accepi. —— Qui vir divinus ille parens tuus fuerit, nôrunt, & fatentur omnes, quos ſtudium non præpedit, aut livor. Ego à puero, velut aſtro quopiam inclinante, ivi in amorem illius —— nonnemo invidet? eſto: ille vivet in ſummâ æternâque gloriâ, quamdiu res Græcæ aut Romanæ, &c.

Aliam lego epiſtolam [*epiſtolar. centur. ad Germanos & Gallos. epiſt.* 34.] ad ADRIANUM TURNEBUM filium à LIPSIO, anno 1598. Lovanii, poſtrid. kal. April. datam; in quâ hæc de TURNEBO patre.

QUid animi tui in me ſit, firmiter neſcio: quid mei in te, ſcio, optimi, & qualem (ut verbo dicam) in parentem tuum, illud Galliæ decus, habui ſemper. Vivit amor in mortuum, & virtutes ejus conciliaverant: vivit in te vivum, &c.

Oportet igitur Adrianum Turnebum filium obiiſſe mortem inter menſes Aprilem & Sextilem; nam de ipſius morte literas [b] Lipſius ad Stepha-

[a] Selectar. centur. ſecund. epiſt. 1. [b] Centur. tert. epiſt. 35.

num ejus fratrem ſenatorem Pariſienſem miſit conſolatorias Lovanii, poſtrid. kal. Sextil. 1598. datas.

Lutetiam STEPHANO TURNEBO ſenatori S.D.

TRiſte mihi auditu fuit, de Adriani fratris tui morte; triſte, & penè ſic quaſi alterum illum, tuum & Muſarum parentem, iterum amiſiſſemus. Nam amicitia jam inter nos vetus ſatis & certè fida coaluerat: & raritas ibi tunc talium, à clade iſtâ funeſti belli. —— ſolatur, quòd & tu in locum & vicem ejus ſic ultro venis, germanus Turnebi ſanguis, &c.

[a] Stephano huic Turnebo Lazarus Zetznerus Argentoratenſis bibliopola Adriani patris opera à ſe edita in fol. duob. volum. ann. 1600. inſcripſit.

Prodierunt poſthuma Adriani Turnebi opuſcula anno 1601 ex Claudii Morelli officinâ, viz. Libelli de [b] vino, calore & methodo; cum Ariſtotel. lib. de his, quæ auditu percipiuntur, ab eodem Turnebo Latinitate donato.

Inter ejuſdem opera [c] memorantur nondum à me viſa.

Præfationes in Thucydidem, Dionyſium Alexandrinum, Platonis Timæum & Phædrum.

Oratio habita poſt mortem Tuſani; &

[a] Teiſſier. eloges. [b] Teiſſier. elog. *Mr. Crenius aſſure* (anim. phil. & hiſt. part. 7. pag. 63.) *qu'on fait beaucoup de cas de ce* traiſté de vino. [c] Teiſſier. elog.

Altera,

Altera, quum philoſophiam profiteri cœpit.
[a] Latina verſio Arriani Peripli Ponti Euxini, &
[b] Libelli de fluviorum & montium nominibus.
[c] Un livre en Latin & en Francois contre les Soteriques enſeignant *gratis*.

Animadvertere hìc forſan haud ineptum videbitur, quòd Gulielmum Morelium & Adrianum Turnebum viros, dum vixerunt, ſtudiis, arte, animo, amicitiâ junctos mors ipſa non niſi breviſſimo intervallo paſſa ſit disjungi, quorum illum ann. 1564, hunc 1565, abſtulit.

Cùm antea mentio facta ſit [d] Sylvæ, quâ Turnebus priorem ſuorum adverſariorum tomum Hoſpitali dicavit; & [e] elogiorum, quibus à doctis hominibus celebratus eſt; lectori non fore ingratum ſpero, ſi illam hìc integram, & horum nonnulla ex multis adjecerim.

[a] Tamen Stuckius in ſuâ edition. anno 1557. hunc librum Latinè à ſe tunc primùm verſum aſſerit. [b] Mauſſac. in ſuâ edition. anno 1615. epiſtol. ad lector. ſcribit ſe ſuam verſionem contuliſſe cum aliis duabus Turnebi & Natalis Comitis; & pleraque ab illis omiſſa, quædam perperam verſa inveniſſe. [c] Imprimé à Paris, 4to. ſans nom. d'imprimeur. bibliotheq. de Verdier. [d] Pag. 58. [e] Pag. 54. & 59.

Ad clariſſ. & ampliſſ. virum MICHAELEM HOSPITALEM Franciæ cancellarium ADRIANI TURNEBI SYLVA, quâ hos libros ei dicat.

SI manibus poſſem ſpirantes fingere ceras,
De Pario ſimiles ſi ſcalpere marmore vultus,
Si vivo poſſem tabulas animare colore,
Ducere ſi facili viventes ære figuras;
Exprimeret te cera, color, lapis, atque metallum:
Omnibus ínque locis tua cives ora viderent;
Et pacatorem te Gallia tota ſacraret,
Ac titulis laudum legeret monumenta tuarum.
Noſtra manus ſed enim eſt rudis atque indocta, probámque
Materiam fœdare poteſt, non arte polire.
Attamen egregia eſt noſtra & propenſa voluntas,
Quæ geſtit, quocunque poteſt, ſe munere gratam
Exhibuiſſe tibi: malè formavítque dolatum,
Quo te nunc veneratur, opus, numénque ſalutat
Quo ſubmiſſa tuum, & votivam dedicat illi
Informem velut effigiem ſcabrámque rudémque.
Ruſticus indoctâ ſimulachra exculpta figurâ
Sic poſuit divis, truncóque ſimillimus Hermes
Sic ſtatuebatur: durus ſic ſtipes in arvis
Numinibus ſacratus erat, pietáſque placebat.
Sic dabat & Veneri luteas virguncula puppas:
Et laribus ſuſpenſa pila eſt, gratéque recepta.
Si meritis æquata tuis tua munera velles,
Pieriis tentata modis musâve pedeſtri;
Te ſolus caneres, in cœlum & carmine ferres:

Qui

Qui tantis ſcribis carmen virtutibus æquum;
Æquiparas & facta ſonis, & laudibus acta.
Cœlitibus ſed grata diis eſt ſola voluntas
Obſequio teſtata pio cultûque probata:
Sic ſtudium noſtræ tibi commendabile muſæ
Officio acceptum cupimus gratúmque videri.
Tellenas nugas & gerræ vana Sicanæ
Nomina fac ſuperent, quæ mittimus atque dicamus:
Tu pretium ponas animo votóque dicantis,
Non nebulis, ventíſque datis & inanibus auris,
Quas tibi concluſas novus Æolus utribus offert.
Extenuare tibi non amplificare paramus
Noſtra, nec orandi conſuetâ extollere lege:
Verba damus, verboſum & opus nunc mente movemus;
Qualia quæ balbi dictantur voce magiſtri
Cirratis pueris, nec jam cantantur ephebis.
Nos obelis etiam quædam configimus, in quo
Auctores vereor ne nos jugulâſſe jocetur
Rhinoceros aliquis, non confodiſſe verutis
Errores, eſſet cùm tanta licentia ferri
Omnibus, & paſſim jugulare impune liceret.
Nos etenim ferme, quo tempore triſtis Erinnys
In ferrum cives odiis furialibus egit,
Scripſimus hæc ſubito nimis indigeſta labore:
Confuſúmque chaos glomeratámq; agmine turbam,
Atque iteratarum nugantem murmure vocum,
Immemor interdum quas mens revocavit, ineptè
Miſcuimus. Nam cùm ſtudiis gravioribus eſſet
Mens aliena, malis patriæ communibus ægra;
Auxilium nobis, animíque levatio mœſti,

Pervoli-

Pervolitare fuit doctrinæ ſcripta politæ,
Atque notare manu, ſi quid ſuccurreret, & mens
Suggereret; modò chirographis contendere preſſa
Et falſi damnare, levi ſed ſemper opellâ.
Sic charæ clades patriæ & mala publica tandem
Hoc peperere, malum ſchedium ſic vendito noſtrum.
Nec tamen ærumnâ lector ſe exiſtimet unâ
Defunctum; reſtare aliam ſibi ſentiet hydram,
Cui linguæ tot & ora ſonant, tot ſurrigit aures,
Biſſenóque trahit ſinuoſa volumine terga.
Ergo facem, clavámque paret ſpoliúmque leonis,
Ut monſtrum tutus plagâ flammâque ſequatur.
Auctio ſi fiat, præconia deferet omnis
Hinc mihi, qui ſolus venalem extrudere mercem,
Et poſſum emptores inducere ſolus hiantes.
Quid faciam? loquor ex animo, quod ſentio verum.
Nec catulum poſſum Melitæum efferre moloſſum,
Magnificis nugas nec poſſum extollere dictis,
Præmia nec laudis cenſemus noſtra mereri;
Nec laus his petitur: votorum ea ſumma meorum eſt,
Excuſanda bonis non accuſanda putentur,
Et veniæ credi non culpæ affinia poſſint;
Quæ ſacrata tibi ſic ſunt & vota, Michaël,
Certa ſalus patriæ, juríſque antiſtes & æqui,
Ut Samiæ divis capides vel fictilis urna.

Εἰς Ἀδριανὸν Τόρνηβον.

Ὡς πνοιῇς λιγυρῇσι διασκίδνησιν ἀνύδρους
Τὰς νεφέλας δονέων θρηκίπνοος βορέης.
Ὡς τὰ μαλαιολόγων κ᾽ ζητόβρωτα γεγαφόντων
Ἐς ταχυνλὼ ἔρρει βιβλία ληθεδόνα.
Ἀλλὰ θεοφραδέων ἀνδρῶν τ᾽ ἀγλαοφήμων
Παντοδαπῆς διδαχῆς ἔργα ποθεινόταλα,
Οὔποτε χειμέριος διασείσει ὄμβρος ἐπακλὺς,
Οὐ φλὸξ ἐμπρήσῃ θ᾽ μαλεροῖο πυρός.
Μηδὲ διαῤῥαίσῃ λάβρος σφετὸς, ὐδὲ λαφύξῃ
Ὁ χρόνος, ὐδαμάσῃ πανδαμάτωρ Ἀΐδης.
Τοῖον ὁ Τόρνηβος γέφας ἔλλαχεν ἰσόθεος φὼς,
Ἑλλαδικῆς μύσης, Ἀυσονίης τε κλέος.
Εὔσοχος, ἡδυεπὴς, μλύος αἰεὶ πνεῖεν Ἀθλώνης·
Πειθὼ κ᾽ ζειρὶ χείλεσι θ᾽ δ᾽ ἐνέφυ.
Ὅς ποτ᾽ ἐὼν κορυφαῖος ἀνακλορέοιο θοώκου
Ἥρκλο πανλοίης ἆθλα διδασκαλίης.
Γήρας ἐν προθύρῳ, φεῦ, τῦτον μοῖρα κραλαιὴ
Ἥρπασε κυκνείῳ φθεγγόμλυον σόματι.
Ἡΰτε δυσόμλυος πάλιν ἀντέλλων μερόπεσσι
Δέρκεται ἠέλιος νύκλα διασκεδάσας.
Ὡς ὅδ᾽ ἐερσιφανὴς μῦτ᾽ πότμον πυρσὸν ἀνάψας,
Ἡμῖν ἠγλαίσεν τὰ περὶν ἀδηλόταλα.
Χαῖρε μάκαρ Τόρνηβε, καλὸς πόνος σ᾽ ἐγέωνεῖ
Ἐν φθιμλύοις κεῖθι δυσκλέα, ζητόμλυον.
Οὐρανόθι ζώεις ζὺ πανόλβιος· ὐδὲ παρ᾽ ἄμμι
Τέκνομα ζὸν μαρκῖνεῖ πᾶς χρόνος ἐατόμλυος.

N. Γυλώνιος.

LEODE-

Leodegarius à Quercu Adriano Turnebo collegæ ſuo S. P. D.

SI virtus, ſtudium, ingenium, & rerum omnigenarum
Cognitio conſummatiſſima, laudibus amplis
Efferri, aut etiam dignâ mercede beari,
Debent (Turnebe ornamentum, & gloria noſtræ
Gentis, & Europæ flos delibate) paranda
Ambroſia, & nectar tibi, ſumptu publico, in arce:
In medióque foro ſtatuenda inſignis imago,
Cui caput auricomum vireat Parnaſide lauro.
Nam ſi albo divûm rectè eſt adſcriptus Apollo,
Quòd perhonorificè de ipſis mortalibus eſſet
Promeritus, tibi quis ſacram non extruat aram,
Plura tuo genio quàm Phœbo holocauſta reponens,
Cùm Phœbum à tergo meritis, atque arte relinquas?
Ille olim Admeti lætos armenta per agros
Graminibus pavit, tu magnanimi atque potentis
Gallorum regis cives præſtantibus ornas
Artibus: ille medebatur vibicibus, alphis,
Vulneribus, morbíſq; hominum; tu trunca reſarcis
Membra libellorum, & luxata, & tabida, & atra,
Et ſpurca illuvie, terges, reddíſque nitori.
Ille planetarum princeps, tu hominum; ille ſonoram
Barbiton à Maiâ genito cepiſſe putatur,
Tu verò à Muſis artes: oracula fudit
Ille, ſed obſcuris ambagibus, & labyrinthis
Intricata, quibus torſit reſponſa ferentes;
Tu tripode ex certo promis folia ipſa Sibyllæ,

Tu

Tu vatum nodos, tu legum ænigmata ſolvis,
Tu Sphingi OEdipodem te offers; tu pervia reddis,
Quæ ſalebris, ſpiníſve ſcatent. Ille omine dextro
Marſyam in arguto cantûs certamine vicit:
Tu doctos omnes ſuperas omni arte decorâ.
Illum Cyrrha colit, Parnaſſus, Chryſa, Therapne,
Gryneum, Tenedos, Cynthus, Delos, Rhodos: at tu
Percoleris toto orbe frequens, tu nomine totum
Orbem imples, & bellè de toto orbe mereris.
Quare utinam Parcæ meritis pro talibus annos
Tam longos tibi nere velint, quàm longa futura
Fama tua eſt, quàm longus honos, quàm gloria longa.

MICHAELIS HOSPITALII [a] epiſtola ad ADRIANUM TURNEBUM, quâ de adverſariorum libro ſibi ab eo dicato gratias agit.

ME tam præclari noli, Turnebe, putare
Muneris oblitum, quod ſemper & omnibus horis
Contrecto manibus, morbi ſolamen acuti,
Atque libens utor tali tantóque magiſtro:
Unde legens diſco veterum ſecreta librorum,
Aut revoco in mentem longos deſueta per annos.
Quòd ſi ſcripta juvant tua me tot pondere rerum
Oppreſſum, tantâ curarum mole, ſenémque;
Maxima, crede mihi, juvenes curíſque ſolutos,
Maxima venturos capiet quandoque voluptas.

[a] Mich. Hoſpital. Sermon. Lutet. apud Mamert. Patiſſon. 1585. pag. 285.

Felix ille tuâ potuit qui voce Latinis
Inſtitui, Græcíſque; haud ille requiret Athenas,
Haud Latium Romámque: beata Lutetia tanti
Moribus ingenióque viri. Sed, amice, futuris
Conſule temporibus, ſcribendi multa laborem
Suſcipe, nec dubita chartis mandare, ſequentum
Quæ veniens ætas ſit miratura nepotum.
Aude magnum aliquid, quæſo (nam poſſe putamus)
Et veterem longo poſſeſſam tempore palmam
Extorque Græcis Italíſque: ut propria ſicut
Armorum, ſic ſit ſtudiorum gloria nobis.

JOACHIMI BELLAII carmina in notationem nominis TORNEBI.

COpia cui tanta eſt, tantâ qui differit arte,
Cuíque adeò eſt uni clauſa & aperta manus,
Cui ſeſe natura parens, cœlúmque recludit,
Cuíque agitans molem ſpiritus intus alit,
Qui cava perſpexit telluris viſcera, cuíque eſt
Cognita Erythræis eruta gemma vadis,
Qui volucrum ſpecies varias, hominumque, ferarúmque,
Et novit quicquid naſcitur oceano,
Qui didicit plantas, ſtirpéſque herbáſque ſalubres,
Et quicquid paſſim dædala terra creat,
Cui terræ, tractúſque maris, cui ſydera cœli,
Cui radius notus, circinus, & numerus,
Tempora qui novit longos digeſta per annos,
Et ſacra, & leges, & pia jura patrum,

Qui

Qui Muſas etiam noſtras, Phœbíque receſſus,
Qui colit Aonii numina docta jugi,
Qui veteres Graios, ſacram & populatus Idumen,
Qui priſcum ad Gallos tranſtulit & Latium;
Denique qui tantis opibus ditiſſimus unus,
Quíque tot inſtructus dotibus ingenii,
[a] Nil niſi limatum &c.

Henrici Stephani carmina in Adrianum Turnebum habuit jam lector in [b] Stephanorum hiſtoriâ.

Sur le Treſpas d'ADRIAN TURNEBE.

Sonet de P. de RONSARD.

JE ſçai chanter l'honneur d'une riviere;
Mais quand je ſuis ſur le bord de la mer
Pour la loüer, la voiant eſcumer
En ſa grandeur ſi profonde & ſi fiere,

Du cœur s'enfuit mon audace premiere
Prés de tant d'eau, qui me peut abyſmer:
Ainſi voulant Turnebe r'animer,
Je ſuis vaincu aiant trop de matiere.

Comme la mer ſa louange eſt ſans rive,
Sans bord ſon los, qui luit comme un flambeau.
D'un ſi grand homme il ne fault qu'on eſcrive.

[a] Lege priùs pag. 47. [b] Pag. 112, 113, 114.

Sans nos eſcripts ſon nom eſt aſsés beau.
Les bouts du monde, ou le ſoleil arrive,
Grands comme lui, lui ſeruent de tombeau.

Proſopopée d'ADR. TURNEBE par ALPHONSE DELBENE Abbé de Haultecombe.

. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Si j'ay par le paſsé aymé d'une amour forte
L'honneur laborieus, & ſi j'ay combatu
Tous ceus que j'ay ſenti s'oppoſer à vertu;
Si de tout mon pouvoir j'ay embelli la France,
Chaſſant de tous endroits le monſtre d'ignorance;
Si je n'ay abuzé de l'honneur & ſçavoir,
Que je me ſuis acquis en faiſant mon devoir;
Si des plus grans ſeigneurs je n'ay cherché la grace,
Et ſi l'ambition en mon cœur n'a pris place;
Si j'ay aimé les miens, mon Pais, & mon Roy,
Et ſi juſqu'à la mort leur ay gardé la foy;
Si le mieus que j'ay peu, j'ay taſché de bien faire,
Et ſi on en reçoit ici quelque ſalaire;
Je ne doy maintenant avoir aucune peur. &c.

JOANNIS

Joannis Passeratii carmen in Adriani Turnebi adverſariorum libros.

BIS ſeni Alciden cœlo evexere labores,
Liquit ut OEtæo corpus inane rogo.
Bis totidem exhauſtis, miro Jovis edita partu
Turnebum propriis vexit in aſtra rotis.
Adverſis fatis, monſtris pugnavit uterque;
Viribus hic animi, corporis ille potens.
Ac poſtquam ambobus tot monſtra oppreſſa, ſupremo
Invidiam vinci ſenſit uterque die.

In triſtiſſimum Adriani Turnebi obitum Leodegarii à Quercu carmen.

TUrnebus flos Gallorum, ſol totius orbis,
Dulce decus Charitum, gloria Sicelidum,
Dum commutaret vitam cum morte, rogatus
In quâ tunc vellet religione mori;
Dixit: in hâc in quâ ſum natus; verùm ego honores
Nec volui in vitâ, nec volo in interitu.
Veſpere cum paucis facibus, pauco comitatu,
Paucis ſacrificis, reddite corpus humo.
Præcones pullos, atrata inſignia, leſſum
Lugubrem, pompas reſpuo in inferiis.

Cúmque

Cúmque parentabit conjux fidiſſima, nolim
Turbet campanis aut requiem aut ſtudium.
Hæc ſint vivorum ſolatia: clauſus in urnâ,
Nil præter preculas & pia ſacra peto.

OMnia, quæ in Turnebi laudem ſcripta ſunt, carmina ſi huc conjeciſſem, in eam longitudinem excreviſſent, ut ex rerum plerumque earundem repetitione legentibus tædium aut moram inutilem attuliſſent. Hunc itaque manipulum, quem ex largâ meſſe decerpſi, lector interim deguſtet, illam, ubi plus otii fuerit, aditurus. Supereſt tamen aliquid, quod antea omiſſum habere extra ordinem locum malo, quàm nullum.

Latinæ interpretationis ad latus Græci textûs in eâdem paginâ accommodandæ conſuetudinem ab anno jam [a] 1481, apud paucos quidem & rariùs, inſtitutam inter ſuos populares Turnebus, Gulielmi Morelii operâ uſus, introduxit anno 1555. quo Ariſtotelis Ethicos ad Nicomachum libros in fol. edidit; *ita Græcis interpretatione recenti cum Latinis conjunctis, ut ferme ſingula ſingulis reſpondeant, in eorum gratiam, qui Græca cum Latinis comparare volunt.* Et quoniam hæc editio rariùs occurrit, tum ut lector totam habeat illius inſtituti rationem, verba ipſa editoris non pigebit hìc inſerere, & hunc de Turnebi vitâ tractatum ipſius ultimo typographiæ fœtu concludere.

[a] Pſalter. Græc. Lat. Mediolan. 1481. Gramm. Laſcar. Græc. Lat. Vicentiæ 1488. Æſop. fabul. elect. Græc. Lat. Regii 1497, &c. Lege Chevillier. p. 135. uſque ad p. 240.

Lectori.

Lectori.

Libros Ariſtotelis de moribus ad Nicomachum typis regiis aliquanto emendatiores ediderámus, partim ex Petri Victorii obſervationibus, partim ex vetuſtis aliquot exemplaribus: cùm nobis quidam ſtudiorum juventutis fautores id ſupereſſe operæ contenderent, ut ea emolumenta, non modò iis qui è Græcis, verùm etiam qui è Latinis literis philoſophiam expiſcantur, uſui per nos eſſent; id verò nos facturos, ſi de his Græcis Latina corrigerentur & emendarentur. Utilitatis hujus publicæ rationem reputantes, quod magìs opus foret, nos facturos cenſebamus, ſi utraque & Græca & Latina conjungerentur. Id aliquoties dum tentamus, collationis magna difficultas operam retardabat; quòd qui de Græcis Latina feciſſent, vel de ſuo quædam addentes, vel periphraſibus Græca explicantes, longiora multo Latina quàm Græca ſint, edidiſſent, ideóque componi aptè non poſſent, ut ſingula ſingulis reſponderent. Hìc hærentibus commodum nobis obtulit quidam literarum ſtudioſus, quod in hôc genere molitus erat, ita Latina Græcis accommodata, ut ferè verbum de verbo expreſſum videretur: cujus operam, quam ſibi privatim parârat, ut multis uſui eſſet, hâc editione idcirco fecimus, quòd multo plures inter literarum & philoſophiæ candidatos eſſe viderentur, quibus iſta utriuſque linguæ comparatio neceſſaria, nedum utilis eſſet, quòd nondum Græcarum literarum ſatìs firma jeciſſent fundamenta. Illius ergo noſtrámque bonam veſtra ſtudia juvandi voluntatem æqui boni conſulite, ut ſi in rem eſſe litera-

[a] Anno 1554.

riam

riam hujuſmodi conjunctionem intelligamus, ad alia tanti philoſophiæ magiſtri opera itidem conferenda ſimus alacriores. Valete.

Et in calce libri: Excudebat, & cum Græcis Latina conjungebat Guil. Morelius, M. D. LV. xii Cal. Mart.

VITA

VITA

Federici Morelli.

FEdericus Morellus [a] nobilis genere Campanus [b] anno 1523° vitam accepit. Græcis Latiníſque literis innutritum fuiſſe certum eſt, quòd regii interpretis munus obierit ; eóque munere probaverit ſe haud indignum, cùm opuſcula [c] alia Gallicè ipſe ſcripſerit, [d] alia è Græcis & Latinis in Gallicum verterit ſer-

[a] Lege ejus epitaphium priùs, p. 29, 30. [b] Nam anno 1583°. obiit ſexagenarius, utì poſtea dicetur. [c] *Bibliotheq. du Verdier & la Caille.* Traicté de la guerre continuelle & perpetuel combat des Chreſtiens, ou, de la luite Chreſtienne contre la chair, le monde & le diable nos plus grands & principaux ennemis ; imprimè à Pariſ. 8°. par iceluy Feder. Mor. 1564. [d] De la providence de Dieu, de l'ame, d'humilité, oraiſons prinſes de St. Jean Chryſoſtome. en 16°. chez le dit Morel. 1557. Traicté extrait de St. Cyprian des douze manieres d'abus, avec moyen d'iceux corriger. à Pariſ. 8°. par le meſme traducteur. Les douze regles de Jean Pic de la Mirande, *leſquels ouvrages il a encore imprimez, en* 1571.

monem: quæ omnia ad pietatem conducunt, ſuique authoris & interpretis non modò eruditionem ſed & probitatem, illam ſinè hâc minimè jactandam & ſæpius noxiam, abundè teſtantur.

Federicus, quem Carola Guillard in ſuâ nobili officinâ typographicâ operi curando & repurgando præfecerat, anno 1552° in ſuâ ad Lodoicum Stellam præfatione lexico Tuſani eo anno ab illâ excuſo præfixâ (eleganti orationis Latinæ ſtylo conſcriptâ) *Jacobum Tuſanum ſuum præceptorem* agnoſcit; in cujus ὑπομνήμαλα, *velut in fratres germanos, amore inflammatus, hos parente orbatos fratres & disjectos collegit: & quæ ille ex multorum auctorum utriuſque linguæ lectione vocabula ac loquendi modos* αὐτοσχεδίως *& fortuitâ quâdam deſcriptione in commentarium retulerat, ea ſummâ curâ recognovit; atque quas ille opes penitùs retruſas atque abditas præſertim linguæ Græcæ, mortis immaturitate impeditus, nondum bene explicârat, in oculis conſpectúque omnium expoſuit, ſtudioſorúmque uſibus prodidit.* Præterea ex Heliæ Andreæ Latinis & Franciſci Beraldi Græcis in Tuſanum carminibus apparet, quàm bene Federicus Morellus de eâ Tuſani Lexici editione meruerit: de quâ ſcire lector non gravabitur, quid Carola Guillard in ſuâ præfatione & Helias Andreas Beraldúſque in ſuis carminibus moneant.

Carola

Carola Guillard candidis lectoribus S.

PRimùm ego ſcire vos velim, Jacobum Bogardum typographum [a] quinque ante annos hoc opus à D. Jacobo Tuſano regio Græcarum literarum profeſſore tum ſuperſtite edendum ſuſcepiſſe; dein interpoſito aliquot dierum ſpatio ſcriptorem ipſum —— fatis conceſſiſſe; tum Bogardum in eo excudendo jam occupatum eatenus perrexiſſe, quoad optimus ſcriptor collocando & ad verbum deſcribendo primam eámque perexiguam tanti operis partem præparaverat. Sed dum hæc ab auctore deſcripta & typis jam commiſſa pars abſolveretur, qui cœpto operi emendando, ab iiſque mendis vindicando, quæ ultro à rei typographicæ operariis irrepere ſolent, præfuit, is reliquam operis partem, quæ longè maxima ac difficillima ſupererat, eâ propemodum viâ quâ ipſe author, ad verbum deſcribere ac aliquo modo continuare parabat. Verùm aliud ex alio malum conſecutum eſt. Etenim [b] Bogardum ipſum conjugémque ejus honeſtiſſimam cum prole chariſſimâ una ferè dies morbo abſumpſit. Tum opus quaſi optimo patre nuper orbatum, nunc etiam feliciſſimo tutore Bogardo privatum periclitari cœpit —— Itaque cùm tot hominum uno ferè temporis puncto extinctorum vicem dolerem (Bogardus enim mihi filius ſororis erat, idémque longè chariſſimus) tamen non tam propinqui mei fatum quàm publicè viri illius immortali memoriâ digni deflebam. Illius verò doctiſſimas lucubrationes —— dignas eſſe putavi, in quas non ſolùm mea omnia ſed ex amicorum etiam fortunis

[a] Jacobus Tuſanus obiit 1547. vide priùs p. 49. [b] Bogardus igitur mortuus eſt circiter 1548: quo anno Gulielmus Morelius cum eo excudebat. Vide priùs p. 34.

—— nonnihil impenderetur. Primus ergo omnium Gulielmus Merlinus ultro occurrit, qui ſe tantos nobiſcum reipublicæ literariæ gratiâ ſumptus & liberaliter & cumulatè facturum polliceretur. Itaque ab eo ſtatim tempore unà ſtatueramus opus celeriter aggredi —— ſed hæc duo potiſſimùm nos retardârunt. Primùm omnium, qui tot legendo percurrere vellet volumina, nedum deſcribere, neminem reperiebamus. —— Ad hæc formæ literarum, quibus hæc volumina conſcripta erant, præ vetuſtate ac tenuitate nimiâ tam fugientes erant, ut Lyncei illius oculorum aciem, nedum obvii cujuſquam, fallere ac eludere poſſent. —— Sed alterum —— incommodum fuit ejuſmodi. Cùm præſens opus jam affectum nobis ac penè confectum eſſet, [a] quidam epiſcopus —— ad nos acceſſit —— contendebat, ut præſenti aliquantiſper intermiſſo negotio librum, quem in manibus habebat, ederemus. —— Eâ in re totum ferè annum Federicus noſter, quem huic operi curando ac repurgando præfeceramus,

[a] Chevill. l'origin. de l'imprim. de Par. pag. 149. *l'Evêque de Verone Louis Lippoman acheva en Portugal ſon livre intitulé* Catena SS. patrum in Geneſin. *Il le fit imprimer à Paris in fol. par Charlotte Guillard l'année* 1546. *C'eſt une tres bonne impreſſion. Il en fut ſi content, qu'étant au Concile de Trente, il vint à Paris trouver la veuve, & l'obligea à faire ceſſer un grand ouvrage, que l'univerſité attendoit avec impatience, pour travailler à l'impreſſion du ſecond volume,* Catena in Exodum, *qui fut achevée l'année* 1555. *Elle eſt en la méme forme & de la méme beauté que la precedente.* —— *Elle reprit ſon ouvrage interrompu par celuy de l'Evêque. C'etoit le Lexicon Grec d'un celebre profeſſeur royal Jacques Tuſanus.* —— *On ne l'eut pas plûtoſt commencé, que l'auteur Tuſanus, que Jacques Bogard l'imprimeur, que ſa femme & ſon fils moururent. Ce dictionaire periſſoit ſans Charlotte Guillard, qui eut la generoſité de s'en charger. Elle l'imprima l'année* 1552. *C'eſt un gros in fol. & fort correct. Federic Morel Champenois, qui fût imprimeur & interprete du Roy, étoit correcteur dans ſon imprimerie. C'eſt luy, qui corrigea l'ouvrage de l'evêque de Verone, & le lexicon de Tuſanus.* Clariſſ. Chevillerius ſcribit epiſcopi Veronenſis Catenam in Exodum. anno 1555 perfectam prodiiſſe. An is ſit error typographicus, neſcio. Certè in bibliothecis Barberinâ & Bodleianâ notatur annus 1550. Præterea illam lexicon, quod excuſum eſt anno 1552, præiviſſe rationi conſentaneum videtur, cùm illius editio hujus impreſſionem interruperit.

interim

interim occupatus fuit. Indè confeſtim ad inſtitutum opus pedem retulimus. Quod quidem ipſum nunc confectum tandem & abſolutum vobis offerimus. Hæ ſunt igitur noſtræ cunctationis rationes, quas ita habere, ut à me referuntur, tum demum comperietis, ſi vel in illius epiſcopi librum (commentarii ſunt in Exodum longè doctiſſimi) vel in hoc ipſum præſens, vel in pervetuſta illa volumina (de quibus diximus) domi ad hoc uſque tempus à nobis idcirco aſſervata —— incideritis. Nec dubito, quin hæc omnia —— æqui boníque conſulatis; ſdque cùm auctoris ipſius —— gratiâ, tum meâ etiam, quæ hoſce quinquaginta annos continuos hoc imprimendi munus vobis adminiſtro, id eſt, graviſſimum & impenſarum & curarum pondus volvo moveóque. Bene valete. Pariſiis. iv. Nonas Octobr. Anno ſalutis M. D. LII.

Heliæ Andreæ Burdigalen. de Jacobo Tusano Elegia.

Tuſanus Graios doctus recludere fontes,
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
Quicquid legiſſet (ſed quid non legerat ille)
Quod Graiæ arcanas linguæ aperiret opes;
Id perquam tenui ſcripto, preſsíſque notârat
Verſibus, & triplex indè volumen erat.
Atque erat id magnum, ſummo ſic margine pleno,
Ut minimus jam vix ingrederetur apex.
Omnia reſtabat deſcriberet ordine certo,
Unúmque è triplici perficeretur opus.
Cœperat ille quidem, partémque abſolverat, ipſam
Edendam nitidis jam dederátque typis:

Cùm

Cùm mors ———

. . . . . .

Intentam invadens operi ceſſare ſenilem
Juſſit, & extinctam de medio ire manum.

. . . . . .

. . . . . .

Nam cum Vatablo primùm, Tuſane, docendi
Munus obire tibi contigit atque diem.

. . . . . .

. . . . . .

Ergo quod incœptum, conſtans librarius urget,
Extremam cupiens impoſuiſſe manum.
Quærentíque bonus mox ſe Morellius offert,
A ſene monſtratam qui ſciat ire viam.
Dum procedit opus, rurſus, miſerabile dictu!
Chalcographus paucis menſibus ille perit.

. . . . . .

. . . . . .

Hìc jam, non menſes, res intermittitur annos,
Dum, Federice, tuâ tu vice ſuſcipias.
Tu conſummâſti fauſto monumenta labore,
Perfectíque operis laus tua major erit.
Hæc ſatís. Hæc tantùm volui cognoſceret hoſpes,
Tuſani Manes & voluiſſe puto.

Franciſci Beraldi Nicolai filii Pariſienſis in Jacobum Tusanum præceptorem ſuum carmen.

Ἑλλάδα τὴν Ἄρης ἐξήλασε παλλὰς Ἀθήνη,
Αἰχρὴν δυλοσύνης ζεῦγος ἀνηνάμενον.
Ἡ δ' μελοικήσασα πρὸς ἔθνεα γείτονα πάντη
Σκίδναλο, καὶ πολλὰς ἄσεις εὗρε δόμους.

Ὀυμβρίτει

Ὀυμῶτοι γυμνὴ, πλῶτον δ' ἀναφαίρεσον ἦχθο
Τῷ πολεμῷ, χρυσᾶ χρῆμα βεβαιότερον.
Οἱ πρῶτοι δ' Ἐνετοὶ πολύπλαγκτον ἀλήτιδα παῦσαν
Τῆς τε πλάνης, κ' αὐτοῖς ἴσα δίκαι' ἔπορον.
Τὰς μιμησάμενοι λοιποὶ πάλιν Ἀυσονίηες
Τῶν Κελτῶν ἐκέλευ εἰς φρένας ὦρσαν ἔρον.
Ἀυτὼ γᾶν βασιλεῖς Κελτῶν κληθεῖσαν ἐπάθλοις
Πλείοσιν ὡ σαθερῷ ἔυθρονον εἶσαν ἔδει.
Ἀλλ' ὅτε δὴ κρυερὰς Ἄλπεις διαβᾶσα νεηλὺς
Ἤγησεν, ὁ πρῶτος Τυσανὸς ἐξένισε.
Ὦι πάρ', ἕως ἔζη καλαλύτης τοῖος, ἔμεινε
Τὼ ἀγανοφρωσύνην τ' ἀνδρὸς ἀγαυσαμένη.
Τῷ δὲ μελαλάξανλος, ἅτ' αὖθις ἀνάσαλος ὄσα
Ἡ τλήμων δολιχῆς ἤρχεθ' ὁδοιπορίας,
Εἰ μὴ τοῖς αὐτοῖς Φεδερῖκος ἀνεῖλκε Μόρελλος
Εἰδασι, τοῖς αὐλῶ Τυσανὸς εἰσίατε.
Εἶσα δ' ἀείμνησον κείνω κλέος, ὄυκλεὲς αὐλῇ
Κοῖος ἄγε, λήθω χ' ὑπολέρων ὀδωῶν.

Habes, lector, in hôc eleganti epigrammate breve Græcarum literarum poſt triſtiſſimam Græciæ à Turcis direptæ cladem itinerarium. Has fugientes Veneti & Itali, utpote propiores, exceperunt primi; donec amplis præmiis invitatas Galliæ Reges certis lætíſque ſedibus repoſuerunt. His inter plures alios eximiam adhibuit culturam Tuſanus: quam, demortuo Tuſano, Federicus Morellus apud Carolam Guillard ſtrenuè exercuit.

Longiùs, quàm par fuit, me non digreſſum puto; ſi in Jacobi Tuſani & Carolæ Guillard mentionem caſu incidens immoratus ſim: cùm Federicus Morellus fuerit illius diſcipulus, hujus in typographicis operis dirigendis adminiſter. Neque enim æquum erat lectorem neſcire, quo præceptore

re uſus fuerat, & in cujus typographêo tyrocinium artis fecerat tam celeber typographus & profeſſor Tuſanus ſanè typographorum hiſtoriam ſcribenti in nullo loco eſſe non debuit, qui (præter Federicum Morellum) [a] Turnebum & Henricum [b] Stephanum habuit auditores; neque lexicon (illud tot vigiliarum opus) ſileri, quod vicit præcedentium induſtriam, ſuccedentium provocavit: & monſtravit illis, quod aſſequi nunquam poterant; his, quod, qui auderent, imitarentur, exemplum. Bogardo laus ſua nequaquam invidenda eſt, quòd mors ei inviderit difficilem, quam generosè ambibat, palmam, librum ab omnibus tantopere exoptatum, tam utilem futurum, ſuis typis excudendi. De accuratiſſimâ cùm in Latinis tum in Græcis ejus diligentiâ ambigere non patiuntur multa ſatìs, quæ ab ipſo in utrâque linguâ eleganter exierunt, veterum opera; nec dubitandi locum relinquunt, quin, ſi fuiſſet ſuperſtes, rem propoſitam ad exitum perduxiſſet, Gulielmo præſertim Morelio opem ſuam pollicito; cúmque præterea inter eos acceſſiſſet typographica ſocietas. Sed Carolæ Guillard & Federico Morello fatum erat hanc adipiſci gloriam; materteræ, quod nepos ex ſorore ſuſceperat, finire; diſcipulo literarium, quem præceptor fecerat, fœtum edere. Sic illa, grande ſui & ſexûs & ſæculi decus, voluit laboribus ſuis, quos in eâ arte ab ineunte uſque jam ſæculo indefeſſa pertulerat, finem; hic ſuis, quos ad vergens uſque ſæculum

[a] Lege priùs p. 48. [b] Lege epiſtol. Henr. Steph. ante Herodot. Latin. excuſ. ann. 1566.

culum non minùs alacriter perferendos ſibi propoſuerat, initium feliciter ponere: quaſi [a] ambo decreviſſent, hic pergendo ubi illa deſierat, totam ſibi depoſcere & inter ſe partiri centuriam.

Anno vitæ 34° Chriſti 1557°. cœpit in re typographicâ inclareſcere, Vaſcoſani celeberrimi gener; & quò ſuæ in illâ arte diligentiæ periculum tutiùs faceret, unà cum ſocero Sophoclis tragœdias Latinè à Lalamantio verſas, opus Caroli Bovilli geometricum, & Julii Cæſaris Scaligeri de ſubtilitate tractatum, quibus Vaſcoſanus ſuo nomine regium privilegium impetraverat, edidit.

Habitabat [b] in vico Bellovaco ad inſigne mori, aut [c] ad urbanam morum [[d] *Rüe St. Jan de Beauvais, au Franc Meurier*], [e] quo ſigno ad ſuum cogno-

[a] Carola Guillard exercuit typographiam ab anno (quod ex ejus epiſtolâ ſuprà allatâ colligitur) 1502, uſque ad annum circiter 1555. (Nam anno 1554° quaſdam Nectarii & Chryſoſtomi homilias in 8° Græcè minutiſſimis quidem at optimis & luculentis characteribus excudit: anno 1555° Chryſoſtomi opera Latinè, teſte Johanne la Caille; at Fabricius in bibliothecâ Græcâ refert ad ann. 1543) Federicus Morellus anno 1557 cœpit imprimere, & ann. 1583 vitâ conceſſit (utì poſtea tradetur). [b] Sophoc. [c] Catull. epigr. [d] Regrets de Joach. Bellay. [e] Lege Joach. Bellaii xenia ſeu illuſtrium quorundam nominum alluſiones. Paris. apud Fed. Morell. 1569. 4to. in præfat. ad lector. ——— *Veteres quidem ipsúmque adeò Platonem in Græcis nominibus hunc in modum luſiſſe cùm multis ex locis, tum vel ex Cratylo maximè conſtat: in quo* ——— *Tantalus* ταλάντατος ——— *Pelops à* πίλας ——— *& ὄψις* ———. *Sic Cicero Verrem* ——— *à verrendo* ——— *quòd ille Siciliam provinciam* ——— *avarè adminiſtrâſſet.* ——— *& fol.* 15.

Federicus Morellus typographus Pariſienſis.
Fœdus Muſarum quid non violabile ſerves,
Federico nomen provida Muſa dedit.
At color eſt fuſcus quoniam moriſque typíque,
Cognomen typicâ clarus ab arte tenes.

J. A.

cognomen videtur alluſiſſe; more ſcilicet apud typographos frequentiſſimo, utì [a] priùs adnotatum eſt.

[b] Signo aliquando nullo utebatur; ſed [c] morus, quoties affigebatur initio librorum, lemniſcum habebat trunco circumflexum & ſub ramis utrinque volitantem cum hôc lemmate, ΠΑΝ ΔΕΝΔΡΟΝ ΑΓΑΘΟΝ ΚΑΡΠΟΥΣ ΚΑΛΟΥΣ ΠΟΙΕΙ, quod [d] ex evangelio deſumpſerat, ut ſuum adversùs ignaviam & infructuoſum vitæ genus declararet odium. Morum etiam maluit urbanam & in horto conſitam, utpote quæ aſſiduo coloni labore culta maturiores & ſalubriores fructus producit.

[e] Anno 1557. 17 Januar. regio privilegio potitus eſt, typographus ac librarius in academiâ Pariſienſi: [f] aliud poſtea obtinuit anno 1559. 18 Mart. [g] deinceps à Carolo Rege 1561. 21 Jun. confirmatum. Alia quoque aliis [h] diverſis temporibus tam à [i] Curiâ quàm Rege illi indulta leguntur privilegia.

De hâc *Federici* nominis ad vocem *Fœdus* alluſione lege priùs p. 30. ubi imprudentiùs notavi quantitatem refragari, nam in illâ monumenti inſcriptione & in his carminibus ſyllaba prior *Fe* producitur. Alibi corripitur ſæpius. Itaque cùm Latinè effertur, eſt anceps: at cùm Græcè, (quantum novi) corripitur, neque aliter ſcribitur quàm Φιδερῖκος. Apud recentiores magis conſuetum eſt efferre *Fredericus*.

[a] Lege priùs pag. 6. [b] Sophoc. 1557. Quintilian. 1563. Peplus Ital. 1578. [c] Joach. Bellaii opuſc. 1558. [d] Matth. cap. 7. verſ. 17. [e] Antiquit. de Rom. 1558. [f] Lege in fine Antiq. de Rom. 1562. item aliud 1559. ultim. Febr. in tumul. Henr. 1561. [g] Antiq. de Rom. 1562. Hæc privilegia obtinuit ad imprimenda varia Joach. Bellaii opera. [h] 1559. prid. cal. Mart. Perion. de vit. proph. 1565. & 1560. 21 Jun. Eutrop. [i] Quintilian. 1563.

Tanta

Tanta jam de ejus peritiâ percrebuerat opinio, ut [a] viri undique eruditi, Michaël Hoſpitalius, Joachimus Bellaius, Ludovicus Regius, Antonius Mizaldus, Claudius Eſpencæus, [b] aliíque in variis quique diſciplinarum partibus illuſtres, non ab alio quopiam maluerint, quàm ab eo, opera ſua excudi. Neque hìc indictas illaudatáſque præterire poſſum principes editiones, alteram [c] Quintiliani declamationum 137 ſuperſtitum Petri Ærodii ſcholiis illuſtratarum, [d] alteram Philiberti de l'Orme architecturæ; hanc figuris, ſchematibus & multifariâ architectonices ſupellectili decoratam; utramque typis elegantiſſimis (utì pleraſque ejus alias editiones) ſpectabilem.

Anno [e] 1562 Johanni Roigny, [f] 1563 Audoëno Parvo, [g] 1564 Nicolao Cheſneau operam ſuam commodavit typographicam; Nicolai ſigno appoſito, quercu ſcilicet viridi, cum ſerpente implicito ſagittarúmque faſciculo caudæ illigato, & hôc lemmate, *concordia vis neſcia vinci.*

[h] Anno 1571. 4 Mart. codicillos à Rege impetravit, quibus Regii typographi ordinarii titulum adepto conceſſa eſt publica edicta, mandata, regiáſque literas imprimendi facultas. Ex eo tamen

[a] Vide ann. 1558, 1559, 1560, 1562, &c. [b] Perion. 1565. Scævol. Sammarth. 1570. Toſcan. 1575. aliíque de quibus index conſulendus. La Caille; hymnes a la louange du Duc de Guiſe par Jean Amelin 1558. [c] 1563. [d] 1568. [e] Guilliaud. in evangel. S. Mat. [f] Marc. eremit. Latiné. [g] Claud. Eſpenc. in poſter. epiſt. ad Timoth. [h] Lege *Ordonnance du Roy à tous ſes ſujets de vivre en amitié* &c. 1572. Edictorum ſingulorum, quæ per decennium impreſſit, enumeratione nolui indicem onerare, eò quòd neque poſſem integrum perfectúmque omnium catalogum conficere, nec ſcirem, an longa eorum nomenclatura lectori tædio magìs quàm uſui eſſet.

tempore [a] rarò insigne, quod Regii typographi solebant, usurpavit; sed urbanam suam morum [b] constanter retinuit, addito nonnunquam in libri [c] initio, sæpius [d] ad calcem, scuto Franciæ; hìc nudo, illìc cum lemmate PIETATE ET JUSTITIA & figuris earundem symbolicis utrinque adsistentibus.

[e] Anno 1578 subscripsit *in vico Jacobæo ad insigne fontis*, figurâ tamen fontis omissâ, utì socer suus Vascosanus; [f] annis verò succedentibus figuram affixit. Sed anno 1580 optimam illam & nitidissimam Homeri Batrachomyomachiæ editionem Regio insigni ac lemmate ornavit, sic subscribendo, *apud Federicum Morellum, typographum regium, viâ Jacobæâ ad insigne fontis.*

[g] Anno 1581. 2 Nov. suo filio Federico cessit regii typographi munere; biennióque post cessionem illam cessit & vitâ sexagenarius, Parisiis, [h] ann. 1583. 17 Jul.

Anno 1583. Parisiis apud Federicum Morellum typographum regium excusus est Joannis Morelli Ebredunensis Tumulus; in cujus fine hæc leguntur epitaphia.

[a] Theophr. de lapidib. Gr. 1577. Homer. Batrachom. 1580. [b] Ordonnance du Roy de vivre en amitié &c. 1572. Scæv. Sammarth. poët. paraphr. in Cantic. &c. 1575. [c] Ciceron. des orateurs &c. par Vigenere. 1576. [d] Quod in plurimis edictorum exemplaribus observari potest. [e] Toscani Peplus Italiæ. [f] In multis edictorum editionibus annis 1579, 1580, 1581. [g] La Caille. pag. 167. [h] Ibid. pag. 142.

C. V. Joannis Morelli Ebredunæi, & Federici Morelli Campani typographi regii, ζωγράφιον.

Dum cudis Tumulum Jani, Federice, Morelli,
Pallida mors verum te vocat ad tumulum.
Dúmque typis mandas Janum, Federice, receptum
Sedes in ſuperas, ſydera & ipſe petis.
Virtutis ſtudiis juncti & probitate Morelli,
Ut bene vixerunt, ſic obiere pié.

Εἰς τὸν αὐτόν.

Εἰμὶ Ἰωάννῃ, Φεδερίκῳ τ' αἶα Μορέλλοις
Κεφὴ, ὡς θνητοῖς Ἀθανάτοιστε φίλοις.

Φεδ. Μόρελλ. & ὁ Φεδερίκε.

Ex his dilucidè probatur Federicum Morellum patrem anno 1583 obiiſſe; ſed, cùm hìc diſertis verbis affirmetur eodem anno illa in Joan. Morellum epitaphia ab ipſo fuiſſe typis mandata, ipsúmque ipſo opere & vitâ ſimul defunctum, in dubium venire poteſt, cui Federico Morello, patríne an filio, adjudicentur libri inter annum 1581 (quo pater filio ceſſiſſe typographi regii munere dictus eſt) & annum 1583, quo idem obiit. Equidem, donec aliquid certius noverim, opinor patrem, ſuo typographi regii titulo in filium tranſlato, typographi munere ſe nequaquam abdicâſſe, ſed id ad extremum uſque vitæ limitem curâſſe; & nihil impedit, quominus

quominus libri ab illo excuſi eum, quo filio ceſſerat, titulum ſub communi Federici nomine gererent.

Inter tumuli ſuprà dicti epitaphia legitur hoc Græcum diſtichon.

Κεῖται Ἰωάννης Ἐδεδωνοῦς ὧδε Μόρελλος,
Ὄνομα δ' ὃς κ' εἰδῇ, εἴσαλο κἠ ἀρετλώ.
Φ. Μ.

Literæ majuſculæ [Φ. Μ.] ſunt initiales Græcæ nominis Federici Morelli, & patris quidem; nam filius in ſuis carminibus adjecit [ὁ Φεδερίκος] diſtinguendi gratiâ. Imò inter illa epitaphia leguntur Phaleucii ſubſignati literis [F. M. P.] i. e. *Federicus Morellus Pater*: & in Virgilii Pollione, eclogâ Græcè ab Euſebio expreſsâ, apud Federicum Morellum typographum regium, viâ Jacobæâ, ad inſigne fontis, ann. 1583. ſigno fontis primæ paginæ affixo, impreſsâ; libellum claudunt duo diſticha Græcum & Latinum, & ſubſcribuntur huic literæ [F. M. P.] illi [Φ. Μ. Π.] i. e. Φεδερῖκος Μόρελλος Πατήρ.

Id præterea obſervatu dignum eſt, quòd, in privilegio ad Pauli Æmylii hiſtoriam Gallicè verſam ann. 1597 & 1609 appoſito & ann. 1579 dato, Federico Morello typographo regis ordinario conceſſa fuerit facultas imprimendi hos libros à variis interpretibus Gallicè redditos, [viz. Æmylii hiſtoriam, & Ferroni continuationem, Hieroclem in Pythagoræ verſus aureos, Arrianum de Alexandri geſtis, & Herodianum hiſtoricum, qui duo anno

a 1581

[a] 1581 ſub Federici Morelli typographi regii nomine prodierunt] & ad Æmyl. hiſtor. finem legantur hæc [*Achevé d'imprimer par Federic Morel imprimeur du Roy, le 3me de May, 1581*], & in initio Arriani exhibeatur Latinum Octaſtichon ſubſignatum ſic, *Fed. Morellus F.* i. e. *Filius*, ut ſe à cognomine patre diſtingueret.

Jacobæa via à typographis celebribus fuit maximè frequentata; fontíſque ſignum Vaſcoſani & Morellorum ædibus commune; quod ille nunquam, hi ſæpe ſuis etiam libris præfigebant.

Illud inter ſocerum generúmque, Vaſcoſanum & Morellum (quod in primis hujus [b] initiis antea memoravi) artis conſortium, ſupra vicennium, ſubinde continuatum puto, quòd anno 1574° Staniſlai Carncovii epiſcopi Uladiſlavienſis ad Henricum Valeſium Poloniarum regem panegyricum legam ſub nomine Vaſcoſani in nonnullis, & Fed. Morelli in aliis exemplaribus excuſum.

Morellus in conſueti [c] lemmatis typographici loco aliquando aliud excogitavit. Nam in Henrici III epiſtolâ ad Poloniæ & Lithuaniæ ordines miſsâ, quam anno 1574 impreſſit, præfigit arborem; cujus ſub radicibus hæc leguntur verba Δένδρον παιδείας, truncum circuit deſumpta ex aureis Pythagoræ verſibus ſententia Ταῦτα πόνει, ταῦτ' ἐπιμελέτα, τούτων χρὴ ἐρᾶν σε· unde velit intelligi, quantâ animi induſtrii indefeſsíque pertinaciâ ipſum juvaret typographicis laboribus indulgere.

[a] Vidi exemplaria Herodiani, quæ annum etiam 1580 gerunt.
[b] Pag. 89. [c] Pag. 89.

Non

Non multa adhuc videre mihi contigit à Federico Morello patre Latinè aut Græcè conſcripta, præter illa, quorum jam mentionem [a] feci, & Hexaſtichum Græcum Toſcani peplo Italiæ præfixum; epiſtolámque ad lectorem, elegantem ſanè, doctam & piam, in fronte [b] pſalmorum à Toſcano verſorum. Ex his autem, utì Herculem ex pede, facilè agnoſcas virum optimo ſcribendi Attico Romanóque ſtylo in utrumvis ſermonem, ſive prosâ oratione ſive metricâ uteretur, paratiſſimum.

Liberos reliquit plures; inter quos [c] Michael 1555°. 14° Decemb. natus; Federicus & Claudius, qui typographicam exercuerunt, quorum mentio ſuo loco habebitur.

[a] Pag. 82, 94. [b] Ann. 1576. [c] La Caille pag. 142.

VITA

VITA

Johannis Bene-nati.

JOhannes Bene-natus (Gallicè [a] *Jean Bienné*) librarius & typographus in academiâ Parisiensi quo loco, quibúsve parentibus ortus fuerit, nondum accepi. Quamvìs autem ejus natales & familia in notitiam non venerint, ejus tamen nomine nihil notius apud eruditos, ejus editionibus nullæ ferè celebriores: eámque in suâ arte præstitit industriam, ut locum, licèt inter typographos regios non habuerit, meruerit tamen; & vel optimorum vix ulli cesserit, si librorum, quos Latinè Græcéque edidit, & delectum & cultum spectemus.

[a] Sic vocatur in privilegio semestr. Pet. Fabr. 1570. & Lambin. in epistol. ad Carol. Reg. dedicator. Demosthen. 1570 —— Ἰωάννης Βενεναῖος, τυπίσι μεθδμιωδιόμφων, ὀμφυῆς——

Prima ejus, quoad hactenus scire potuerim, mentio incidit anno 1566°, quo Dionysii Lambini oratio de rationis principatu & rectâ institutione eo anno idib. octob. in gymnasio Samarobrinensi habita typis prodiit *apud Joannem Bene-natum, in ædibus demortui Guil. Morelii.* Is enim, post Morelii obitum, [a] cum viduâ matrimonium contraxit; & *factus totius ejus typographici instrumenti successor*, rem ejus domesticam restituit, quam moriens penè perditam reliquerat.

Bene-natus eodem, quo antea Morelius, characterum ornatu & formâ usus est, eodémque, quo regii typographi, insigni & lemmate, quæ ferè [b] semper librorum suorum fronti appposuit.

Haud rarò etiam aliis typographis librariisque se associans, mutuam operam aut eorum petebat, aut suam dabat; privilegiique jure modò cum aliis communi, modò alieno fruebatur, modò suo alios participabat. Sic [c] Luciferi opuscula cum Michaële Sonnio; [d] Cornelium Nepotem cum Petro Lullerio; [e] Gregorii Nazianzeni opuscula cum Claudio Fremy; [f] locutionum Græcarum volumen cum Nicolao Chesneau, excudente Joanne le Blanc juniore, [g] Ciceronis opera cum Jacobo Puteano; [h] Demosthenem cum eodem Puteano & Michaële Sonnio publicavit: & in edendis [i] Basilii de honore parentum libello, [k] Novóque Testamento à

[a] Lambin. in epistol. ad lector. [b] Omisit in gnomon. Guillon. 1567. Genebrard. de Trinit. 1569. Lys. de Eratosth. 1577. Apolinar. psalm. 1580. Nov. Testam. 1584. [c] Ann. 1568. [d] 1569. [e] Eod. [f] 1578. [g] 1572. & 1573. [h] 1570. [i] 1581. [k] 1584.

Stephano

Stephano Prævoſtæo adjutus eſt. Eorum aliquando, quibuſcum ſocietatem inierat, inſignia exemplaribus adjiciebantur, e. g. Petri Lullerii oliva, & puteus Puteani. Luciferi opuſcula, quæ ſub Bene-nati & Sonnii nomine in lucem exierunt, pro inſigni gerunt viperam cruci intortam flammis hinc indè ſurſum ardentibus cinctam cum hôc lemmate [a] ΕΡΓΩ, ΚΑΙ ΛΟΓΩ, idémque adhibetur inſigne in canonibus apoſtolorum à Gulielmo Morelio ann. 1561° impreſſis, unde datur conjecturæ locus, Morelium etiam & Sonnium in eis imprimendis fuiſſe ſocios.

Bene-nati diligentia ita innotuerat, ut ejus curæ ſua opera traderent viri paſſim eruditi; maximè, inter alios [b] complures, Dionyſius Lambinus, cujus [c] orationes publicæ, [d] verſiones, doctaéque in varios [e] authores lucubrationes ſub ejus prælo ſudaverunt.

Otho Turnebus poſthumos patris in orationes Ciceronis agrarias commentarios luce publicâ donaturus hunc elegit potiſſimum, per quem 1576 prodirent; quem ſcilicet ipſe pater Adrianus, ſi fuiſſet ſuperſtes, æquè cum Morelio ſuo adamaret, dignúmque illo agnoſceret ſucceſſorem.

Libros à Gulielmo Morelio quoſdam excuſos recudit, quoſdam cœptos abſolvit. Ariſtotelis politicos Græcè ann. 1556° ab illo editos denuo hic anno 1574° mandavit typis; in calce tamen, primæ

[a] Evang. S. Luk. cap. 24. verſ. 19. [b] Conſulat lector librorum indicem. [c] Ann. 1566, 1568, 1670, 1572. [d] Ariſtotel. politic. [e] Corn. Nep. 1569. Lucret. 1570. Ciceron. 1572.

impreſſionis anno Moreliique nomine ſervatis. Ferè equidem ſuſpicor non aliam eſſe, ſed eandem puram putam editionem; veteribúſque, quæ adhuc ſupererant, exemplaribus præfixum novum titulum, epiſtolâ dedicatoriâ Italico, quæ priùs Romano legebatur, charactere recusâ.

Platonis Timæo, cui ille anno 1563° primam, hic ultimam manum 1569° admovit.

Quod ad optimam illam Demoſthenis editionem 1570° attinet, non pigebit Bene-nati verba ipſa ex ejus ad lectorem epiſtolâ hìc attexere.

Cùm duodecim abhinc annos Gulielmus Morelius Demoſthenem —— typis mandare cœpiſſet, & hanc editionem primùm turbulenti reipublicæ motus —— difficultas rei familiaris ex malis communibus nata, intermittere coëgiſſent; deinde ejus viri mors brevì conſecuta, totam rem ita impediſſet, ut perexigua & perquam tenuis ſpes ejus de integro aggrediendæ relinqueretur; nobis tandem, anno ſuperiore Gregorii Nazianzeni ab Jacobo Billio —— in Latinum ſermonem converſi editione abſolutâ, in mentem venit Demoſthenem —— aliquando repetere, ejúſque editionem —— abſolvere. Cui oneri ſuſtinendo —— ſive ſumptus in eo negotio faciendus, ſive difficultas in exemplo recognoſcendo &c. auxilium ab aliis nobis petendum eſſe exiſtimavimus. Et quod ad ſumptum &c. hunc nodum non tam citò neque facilè expedivimus: altera autem difficultas non multò minor reſtabat, quâ qui nos libentiùs aut faciliùs levaret, quàm Dionyſius Lambinus, —— non videbamus. &c. Cùm igitur Lambino hujus editionis abſolutæ magna gratia debeatur

debeatur, tum Gulielmo Morelio mortuo nulla satìs ampla laus tribui potest, &c. Ex hujus, quam totam ab erudito lectore perpendi velim, epistolæ stylo facilè apparet, Bene-natum Latinè (quod non cuilibet glorianti magistello criticóve audaculo datum est) scribere potuisse. Quàm bene de eo senserit Lambinus, in suâ ad lectorem ipse sic prodit epistolâ. —— *In contextu Demosthenis recognoscèndo viam jam mihi à Morelio præmonstratam secutus sum, simúlque Bene-nati voluntati morem gessi, ut nihil prorsus à vulgatâ & receptâ scripturâ mutarem* &c. *tanta fuit Bene-nati religio, cui facilè assensus sum, ut lectiones & interpunctiones vulgatas nonnunquam vitiosas retinere maluerit, dummodo earum emendationes vel in margine vel in calce libri repræsentarentur, quàm* &c. *Meminerat enim de meâ Ciceronis editione qui sermones hominum partim imperitorum, partim iniquorum fuissent, cùm dicerent me nimium mihi juris in Cicerone emendando assumpsisse; non oportuisse à lectione receptâ discedi* &c.

Ab illâ quàm longè abeunt religione ac modestiâ maleferiati isti scioli, qui nunquam magìs sibi plaudunt, quàm quoties à receptâ lectione, imò & ab authoris sensu, pro suo arbitrio discedunt; codices manuscriptos quo jure quâque injuriâ damnant, cùm interea frequentior occurrat criticis quàm codicibus maledicendi causa.

Eodem, quo magnificam hanc Demosthenis in fol°. absolverat editionem, anno excudit etiam in 4to illius oratoris orationem contra Androtionem.

Nescio,

Neſcio, an eâ formâ plures excuderit, aut forſan omnes excudere aliquando voluerit.

Anno hôc laborioſo lyricos Syneſii hymnos (præter Chryſoſtomi de clementiâ orationem, Gregoriíque Nyſſeni adversùs eos, qui caſtigationes ægre ferunt) adornavit typis paulò majoribus & elegantiſſimis, prorsúſque iiſdem, quibus antea Morelius Pindarum lyricorum principem ann. 1558° decoraverat.

Græcè quoque anno 1577° Lyſiæ ſuper Eratoſthenis cæde apologia prodiit ejus typis ſed majoribus, qualéſque poſtea Stephanus Prævoſtæus Phocylidi anno 1602 adhibuit.

Anno 1580° Apolinarii metaphraſin pſalmorum binâ impreſſione donavit, Græcâ alterâ, alterâ Græco-Latinâ; hanc locupletavit amplo Græcarum vocum indice, quem ipſe ſe fatetur deſcripſiſſe.

Anno 1584° excudente Stephano Prævoſtæo, Bene-nati ſumptibus & labore, accurante Guidone Fabricio Boderiano, lucem publicam vidit Græcus Novi Teſtamenti textus ejúſque Syriaca literis Chaldæis verſio, cum Latinâ utriuſque interpretatione; opus elegantiſſimum dignúmque, quod Bene-nati laboribus typographicis (ultra enim hunc annum an quicquam ab illo prodierit, hactenus neſcio) coronidem imponeret. Illud certè hìc animadvertendum cùm ſummâ Bene-nati laude duco, quòd, dum typographiæ vacavit, annos intermiſerit paucos, quin ſacrum aliquid è SS. patribus proferret; quaſi

quasi his primitiis, hôc anniversario cultu voluerit suos labores reliquos consecrare.

Anno 1588° Februar. 15. defunctum eum indicat [a] epitaphium ejus Parisiis in æde Sancti Hilarii, cui tabulis extremis certam bonorum partem legavit, ut ex Romanæ ecclesiæ more statis quibusdem solennibus in singulos deinceps annos diebus pro suæ suorúmque parentum & amicorum animæ requie sacra fierent.

Scævola Sammarthanus in secundo epigrammatum libro de Bene-nati morte hoc scripsit hexastichon.

Per vim, pérque dolos fatali conditus urnâ,
Mortuus hìc malè sum, qui Bene-natus eram.
Mortis causa Venus; nàm cæco armavit ab æstu
In me rivalis corda manûsque feri.
O fati ambiguas leges! quæ cuncta propagans
Vitæ aliis causa est, fit mihi causa necis.

[a] *Messieurs les Curez & Marguilliers de l' oeuvre, & fabrique de ceans, & leurs successeurs, sont sujets à perpetuité de faire chanter & celebrer par chacun an les messes & services, matines, heures canoniales, & salut pour l'ame de défunt honorable homme Jean Bienné, en son vivant marchand libraire, maistre imprimeur, bourgeois de Paris, de ses pere & mere, parens & amis trépassez, aux jours & festes qui*

[a] La Caille totum exhibuit epitaphium cum sacrorum per certos festosque quotannis dies peragendorum indigitatione. Illud cum lectore, ne quid desideret, prolixum quamlibèt communicabo.

ensuivent;

enſuivent; *c'eſt à ſçavoir le quinziéme jour de Février* 1588. *qui eſt le jour que ledit Bienné eſt decedé, ſe dira veſpres des morts, vigiles, laudes, recommendaces, trois hautes meſſes à diacre & ſouſdiacre & choriſte. En fin ſe dira* libera, *&* de profundis *ſur la ſepulture dudit défunt, avec les oraiſons propices, ſur laquelle y ſera mis une repreſentation ledit jour, à l'entour d'icelle y aura deux torches, une harſe, & deux cierges ſur l'autel, le tout de cire ardente*; *& pour ce ſera fourny & livré par leſdits Marguilliers pain & vin, ornemens, parents de l'autel, luminaire, avec ſonnerie de ladite paroiſſe.*

Pareillement de faire dire & chanter en cette egliſe par chacune ſemaine de l'an à perpetuité le jour de lundy heure de neuf heures, une baſſe meſſe, en fin de laquelle ſera dit le de profundis *avec l'oraiſon propre ſur ladite ſepulture dudit défunt Bienné.*

Davantage, ſera dit & chanté per chacun dimanche de l'année perpetuellement, aux quatre feſtes annuelles, les deux feſtes de patron de ceans, une antienne en l'honneur de la Vierge Marie ſelon les temps ordonnez par l'egliſe; *en fin d'icelle un* de profundis *avec les oraiſons propices, leſquelles ſe diront à l'iſſuë des veſpres de ladite Paroiſſe.*

Plus ſe dira perpetuellement par chacun an les matines és jours & feſtes de circonciſion de noſtre Seigneur, le jour des roys, la purification, l'annonciation, le lundy du lendemain du jour & feſte de paſques communiaux, le jour de l'aſcenſion de noſtre Seigneur, le dimanche de la Trinité, le jour de ſaint Jean Baptiſte,

ptiſte, le jour de ſaint Pierre & ſaint Paul, la nativité de Noſtre-Dame, vigiles des jours des trépaſſez, qui eſt le lendemain de la Touſſaints, le jour de la conception de Noſtre-Dame, le jour de ſaint Eſtienne, qui eſt le lendemain de Noël. Et outre leſdits jours cy-deſſus, de chanter & dire les heures canoniales les jours & feſtes de Paſques communiaux, Pentecoſte, Touſſaints, Noël, les deux feſtes du patron de ceans, & le jour de l'aſſomption de Noſtre-Dame.

Pour leſquelles fondations cy-deſſus ſpecifiées, ledit défunt Jean Bienné a donné & legué à ladite oeuvre & fabrique de ceans aucuns de ſes biens, ſelon le contenu de ſon teſtament; enſemble les lettres de fondations de ce faites & paſsées entre leſdits ſieur Curé & Marguilliers, le ſamedy vingt-cinquiéme jour de Novembre 1595. pardevant Pierre Bellot & Jacques Fardeau notaires du Roy noſtre ſire au Chaſtelet de Paris. En memoire des bienfaits dudit défunt Bienné, la fabrique de ceans luy a fait icy appoſer cette inſcription le vingt-huitiéme Avril 1598.

Priez Dieu pour le repos de ſon ame.

Finitis jam ſex horum typographorum vitis, antequam ad reliquas in parte poſteriore ſcribendas procedam, adjiciendum hìc cenſui me in alium Colinæum incidiſſe, qui an ullâ aut quâ cognatione Simonem ſuprà dictum attingat, expiſcari nondum potui.

Bibliotheque d'Antoine du Verdier. pag. 1190. *Vocabulaire du pſeautier exposé en François, imprimé à Paris* 8°. 1528. *par François de Colines.*

Eſt etiam de Adriano Turnebo nonnihil, quod antea me fugerat: [a] epiſtola ſcil. Antonii Mureti ad ipſum data.

M. ANTONIUS MURETUS S. P. D. ADRIANO TURNEBO.

CUM ex Italiâ, octavo pòſt anno, in Galliam mihi eſſe redeundum viderem, judicavi fore ut mihi vitio verteretur, ſi ex regione copioſiſſimâ, & bonis omnibus abundantiſſimâ, in quâ tot annos verſatus eſſem, redirem ad meos inanis.—Sæpe audiveram commendari ab hominibus eruditis volumen quoddam perantiquum Philippicarum M.

[a] Vide Mureti epiſtol. hymn. & poëmat. 12°. Argentorat. 1622. pag. 240.

Tullii,

Tullii, quod asservaretur in bibliothecâ Vaticanâ, non in majore quidem illâ & augustiore, quæ pontificum beneficio quotidie ferè statis horis patere ad communem studiosorum omnium utilitatem consuevit; sed in abditâ quâdam, & non ita omnibus perviâ, quæ à sacerdotibus divi Petri superioribus annis concinnata, postea sive negligentiâ hominum, sive fraude, exhausta propè jam & exinanita esset.—Non modò—mihi eximium illum librum inspicere licuit: sed etiam permissus est, ut eum mecum auferrem, domíque haberem, datâ priùs fide eum, quòd longissimum esset, ante septimum diem redditum ac restitutum iri. Tum verò, tanquam longo tempore collectam sitim explere cupiens, ita eum pervolutare, & cum iis, qui eruditissimo ac diligentissimo viro Hieronymo Ferrario emendati erant, conferre cœpi, ut me (quamquam graviter ægrotare cœperam) non valetudinis ratio, non cibi potionísve necessitas, non ille ipse omnium domitor (ut eum poëtæ Græci vocant) à tam dulci occupatione posset somnus abducere. Præclarè autem mihi constitit operæ meæ fructus: non enim facilè crediderit quisquam, quàm multa in his orationibus mutila, quàm multa temere addita, quàm multa corrupta ac depravata legerentur in omnibus aliis libris, quæ hujus ope expleta, resecta, sanata, & integritati suæ restituta sunt. Librum autem ipsum credo equidem ante hos septingentos annos exaratum esse. Quod & ipsa literarum conformatio ostendit — quæ in pandectis Florentinis, & in Terentio Petri Bembi visitur; & scriben-

di ratio, quam ὀρθογραφίαν vocant, eadem planè quæ in iis, quos modò nominavi, libris, & præterea in antiquiſſimo illo epiſtolarum Ciceronis, cujus exemplum abhinc triennium divulgavit P. Victorius: quam quidem cùm ex aliquâ parte exprimendam curaverim, non tamen ſum auſus perpetuò id facere, ne nimia illa novitas (ſiquidem nova dicimus etiam ea, quæ cùm vetera ſint, diu ab oculis & ab uſu hominum abfuerunt) lectoribus & moram objiceret, & moleſtiam pareret. Ut taceam, quòd quædam in eis libris ineſſe judico errore potiùs, & vitio illorum temporum quàm ratione, & auctoritate ſuperiorum recepta; cujus generis ſunt *emptus*, *ſumptus*, & ſimilia per literam p: in quo immoderata fuit ætas illa, ut *ſolemnia*, & *temptare*, plerique omnes tum ſcriberent. Sed ut illud ex eodem fonte fluxiſſe puto, quòd literas multas inter ſe commutabant; cùm *apſum*, & *optineo*, contráque *ſcribtura*, & *obtare*, ſæpe in eorum libris legatur: in eundem numerum incluſerim, *avieris* pro *abieris*, & *bolumnia* pro *volumina*, ejuſdémque generis innumera. Nam illud quale eſſe dicam, neſcio, quòd *lathrones*, & *lathrocinia* propè ſemper ſcribebat is, cujus manu ille Philippicarum liber ſcriptus eſt. Ne illa quidem exprimenda duxi, *adficere*, *adponere*, *conligere*, *conlega*, *inluſtris*, & talia, aut *æcum*, *relicum*, *locuntur*, *cotidie*, quæ tamen non ejuſdem generis, cujus illa, eſſe duco; aut illa, *immemoriam* pro *in memoriam*, *ſumma' ſt* pro *ſumma eſt*, & ſimilia: etſi hæc quidem non planè aſpernanda cenſeo. At

hæc

hæc leviora ſunt; illud majoris momenti, quòd locos ampliùs trecentos in omnibus aliis libris depravatos, à nobis emendatos videbit, quiſquis hanc editionem cum aliis conferre voluerit. Tibi autem, Adriane Turnebe vir optime & doctiſſime, hunc laborem meum inſcribere quasíque conſecrare placuit; tum ut extaret monumentum aliquod veteris amicitiæ noſtræ, tum ut liber ipſe hôc nomine ſtudioſis omnibus gratior ac commendatior foret. Et ſanè ſive quærendus erat amicus de me bene meritus, cui hoc munuſculum daretur, neminem ordinis noſtri videbam, cui plus deberem; ſive deligendus judex, qui de his rebus exiſtimare unus omnium optimè poſſet, nullum reperire poteram, cui juſtiùs id deferretur, quàm tibi. Non enim aut obſcurum, aut ambiguum eſt, inter omnes qui hodie literas tractant, ad quem ex hominibus noſtris primis ſinè controverſiâ deferantur. Vale, méque, ut facis, amare perge. Lutetiæ. Id. Mart. anno MDLXII.

Hanc epiſtolam neutiquam negligendam cenſui, cùm ob Ciceronianarum Philippicarum editionem, ejúſque rationem à Mureto inſtitutam, & ibi erudito ac terſiſſimo (ut ſolet omnia) ſermone declaratam; tum ob graviſſimum viri non mediocriter in literis verſati de Turnebo judicium.

Deni-

Denique, ut Vaſcoſani & Federici Morelli meritum magìs eluceat, viſum eſt Regium, quod Plutarchi opuſculis moralibus Gallicè à Jacobo Amyot verſis, & ab eis anno 1575 editis affigitur, hìc ſubnectere privilegium.

Charles par la grace de Dieu Roy de France —— Nos chers & bien amez Michel de Vaſcoſan, & Federic Morel ſon gendre, libraires & imprimeurs en l'univerſité de Paris, nous ont fait dire —— que par nos lettres patentes du 2d jour de Mars 1560 —— nous aurions fait election de la perſonne dudit Vaſcoſan, & iceluy retenu pour noſtre imprimeur, luy donnant privilege general, privativement à tous autres, de imprimer tous & chacuns livres Grecs, Latins ou François & autrement —— & que —— un libraire eſtranger —— à Anvers ſe ſeroit ingeré d'imprimer le livre des vies de Plutarque —— traduit de Grec en François par —— Jacques Amyot —— Nous par autres nos lettres patentes du 12 de Nov. 1563. aurions ordonné defenſes eſtre faites —— à tous libraires, imprimeurs & autres, de vendre leſdicts livres de Plutarque —— s'ils ne ſont imprimez par ledict Vaſcoſan. Et le 4 de Mars, 1571. nous aiant eſgard aux grands & laborieux travaux, que Federic Morel gendre dudict Vaſcoſan à employé en l'impreſſion de pluſieurs beaux & recommendables livres Grecs, Latins, François & autres, l'aurions retenu en l'eſtat de noſtre imprimeur ordinaire, tant en Hebrieu, Grec, François, que autres langues, vacquant par le treſpas de

de feu Robert Eſtienne, & ſur ce luy ottroyé nos lettres patentes —— à preſent aiants iceux de Vaſcoſan & Morel ſon gendre receu la tranſlation des oeuvres morales & meſlées dudit Plutarque, faicte —— par iceluy meſmes Amyot — ils les auroient imprimez — mais il doutent tomber —— au meſme — inconvenient, ou ledict de Vaſcoſan s'eſt trouvé apres laditte impreſſion —— des dittes vies —— Nous à ces cauſes & que —— la grandeur —— d'une tranſlation —— ſi accomplie, qu'il ne reſte à y deſirer autre choſe qu'une impreſſion, qui ſuyve —— la dignité d'un tel livre, que nous deſirons ſortir en lumiere ſous cette impreſſion faicte par les dicts de Vaſcoſan & Morel, leſquels nous avons prins & choiſis pour eſtre nos imprimeurs —— donnons privilege —— audit de Vaſcoſan & Morel & chacun d'eux d'imprimer — tous & chacuns les livres d'icelle tranſlation des dittes vies, oeuvres morales & meſlées de Plutarque —— donné à Paris le 26me d'Aouſt 1572.

Lectorem non pigebit hoc legiſſe privilegium; ex quo fiet certior de multis, quæ aliter conjici tantùm potuerint. Scil.

1. [a] Conſortium inter Vaſcoſanum Morellúmque ab hujus initiis uſque ad illius finem fuiſſe typographicum; nam in calce moral. Plutarch. leguntur hæc —— *imprimé à Paris par Michel de Vaſcoſan & Federic Morel imprimeurs du Roy* 1575; *avec privilege pour dix ans.*

[a] Vide priùs pag. 91.

ſion

2. Vaſcoſanum typographi regii munere donatum 2° die Mart. [b] 1560.

3. Federicum Morellum in eodem munere Roberto Stephano (illi nempe, quem in hiſtor. Stephan. pag. 525. dixi) ſucceſſiſſe 4° Mart. [c] 1571.

[b] Erràſſe itaque me fateor, qui pag. 19. ſcripſerim eum regiam anno primùm 1566° ſuſcepiſſe typographiam. In errorem verò ex hóc lapſus ſum, quòd nullos ante annum 1566 libros viderim ab eo impreſſos, quos illo titulo ornaverit. [c] Vide priùs pag. 91.

TYPOGRAPHORUM

INTER

PARISIENSES

CELEBRIORUM

VITÆ:

FEDERICI MORELLI 2^i } { CLAUDII MORELLI 2^i
CLAUDII MORELLI 1^i } { CAROLI MORELLI

ÆGIDII MORELLI.

TOMI PRIMI PARS POSTERIOR.

VITA

Federici Morelli Filii.

TYpographorum illuſtrium hactenus memoratorum, Colinæi, Vaſcoſani, Turnebi, Morelii, Bene-nati, Federici Morelli, deſiderium adimet, & damna, quæ mors illorum rei literariæ intulit, reſarciet Federicus Morellus Federici Morelli ſupradicti filius; cujus ea fuit varia eruditio & indefeſſa induſtria, ut anteceſſorum ſuorum nulli, ſcribendo, edendo, excudendo ceſſerit. Quàm maturè literis initiatus fuerit, quos progreſſus in iis fecerit, affirmanti fidem haud haberet quiſquam, niſi eam confirmarent illa, quæ ſui dedit vixdum [a] adoleſcentiæ annos egreſſus, ſpecimina.

[a] Vide poſtea pag. 120.

Anno 1576°. quo ejus pater pſalmos Davidicos ex Hebraïcâ veritate Latinis verſibus à Jo. Matthæo Toſcano expreſſos edebat, adjecit diſſertationem, in quâ ea carminum genera, quibus pluſquam quaterdenis hic poëta uſus eſt, brevi compendio enodavit.

Anno 1581. (teſte [a] Johanne *de la Caille)* 2° Nov. regii in Hebræis, Græcis, Latinis & Gallicis typographi munus, cedente patre, accepit. Patrem nihilominus ab arte non deſtitiſſe cur credam, cauſam non modò probabilem ſed & (ut opinor) certam [b] priùs attuli. Is mortem obiit anno 1583°; ejuſdémque anni nonis novembribus Federicus filius, cum regii typographi titulo, privilegium à rege ad octo annos impetravit Piſidæ mundi opificium imprimendi. Ex illo tempore in præli labore pertinaciter perſeveravit per totum 33 annorum ſpatium: nullum enim (quòd adhuc ſciam) librum excudit ultra 1617; neque initium ſupra 1583 libet ponere, proptereaquod libri inter patris ceſſionem & mortem excuſi utrivis, imò utrique junctim, adſcribi poſſint. Aliud eſt præterea, quare credere animum inducam, eum vivo patre ſuum nomen typographiæ nondum dediſſe; quoniam in Piſidæ hexaëmero, quod 1584 prodiit, diſertis verbis affirmat ſe, *ipſo hujus libri editionis tempore, curâ rei domeſticæ & typographicæ provinciæ à ſtudiis avocatum.*

[a] Pag. 167. [b] Lege priùs pag. 93.

Ædes,

Ædes, quas priùs pater, habuit [a] *in viâ Jacobeâ ad insigne fontis.* Libros ab eo impressos nunquam vidi urbanâ patris moro signatos; sed iis affigebat modò [b] signum fontis, modò [c] regiorum typographorum insigne cum Græco lemmate aut [d] absque lemmate, modò [e] nullum, aliquando [f] scutum Galliæ & Navarræ coronatum, aliquando [g] Galliæ solùm; nonnunquam arma [h] eorum, quibus dedicabantur, aut [i] capita authorum, aut [k] numisma quoddam ad libri materiam spectans, cum Græco lemmate βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ κραταιερῷ τ' αἰχμητῇ. Alia sæpe suis codicibus adjiciebat ornamenta & figuras symbolicas, viz. [l] elementi majusculi Θ cum versu hôc Græco

[ΔΥΣΜΟΡΟΝ Ω ΘΝΗΤΩΝ ΓΕΝΟΣ ΟΥΣ ΕΝ ΓΡΑΜΜΑ ΚΥΛΙΝΔΕΙ]

literæ peripheriam circumeunte; aut [m] Latinâ interpretatione subjectâ

[HÆC GENUS INFELIX HOMINUM UNICA LITERA VERSAT]:

[a] Lycophron. 1584. Paul. Æmyl. 1609. [b] Lycophron. Latin. 1584. Liban. agricultur. 1602. Paul. Æmyl. 1609. [c] Lycophron. Græc. 1584. Marcian. Heracleot. 1606. Aliquando effertur in recto, non dativo, casu, βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κραταιερός τ' αἰχμητὴς, proverb. Græc. vers. 1594. 4to & 8°. [d] Aristoph. Iren. 1589. Synes. philadelp. 1614. [e] Biragi tumul. 1584. Constant. Porphyrog. 1609. Hippocrat. quædam 1617. [f] Hieronym. de baptism. 1598. Arrest du parliament &c. 1615. [g] Philo de septen. 1614. [h] Cardinal. Sirlet. in Pisid. hexaëmer. 1584. Gregor. xiv. pap. in Geometr. hymn. 1591. Cardinal. Cobelluc. in Tzetz. allegor. 1616. [i] Caput Basil. imperator. ante ejus exhortat. Lat. 1584. caput Philon. de septenar. 1614. [k] Liban. basilic. 1614. ubi numisma Constantii. [l] Æschyl. septem Theb. 1585. Anno 1585°. munus regium publicè docendi fuit impositum. [m] Tombeau de Giury. 1594.

& [a] ve-

& [a] veritatis cum voce ſubſcriptâ ΑΛΗΘΕΙΑ, [b] juſtitiæ cum adverbio ΔΙΚΑΙΩΣ; & (quod pater [c] antea uſurpaverat) [d] ſcuti Francici cum his vocibus PIETATE ET JUSTITIA & earundem figuris.

Nullus typographus pluribus aut honeſtioribus titulis ante & poſt illum ornatus eſt, quos certè tam inſignibus raríſque meritis invidendi locus non datur. De quanto honoris culmine nunc temporum decidit ars typographica per imperitiam eorum, in quorum impuris manibus hæc literarum conſervatrix miſerè & turpiter evileſcit!

Federicus Morellus conſtitutus eſt primùm [e] regius typographus, deinde [f] interpres, [g] profeſſor utriuſque linguæ & [h] eloquentiæ, [i] architypographus, denique [k] interpretum & profeſſorum regiorum decanus. Tot ſimul muneribus implendis ſufficiebat unius labor & induſtria. Solus Atlas ſinè Hercule vicario onus totum ſuſtinuit; rariſſimè enim (qui reliquis typographis mos erat) quoquam ſocio, præterquam [l] Stephano Prævoſtæo, & [m] Pe-

[a] Chryſoſt. ſerm. in Geneſ. 1594. pag. 16. [b] Geometr. tetraſt. Græc. 1595. [c] Vide priùs pag. 92. [d] Proverb. Græc. ver. Latiné. 1594. 8°. [e] Lege privileg. (ante Piſid. 1584.) dat. ann. 1583. [f] Marcell. Sidet. 1591. Geometr. hymn. 1591. [g] Philo de nomin. ſacr. 1593. [h] Hieron. de Trinit. 1612. [i] Geometr. tetraſtich. 1595. [k] Nic. Smyrn. Artabaſd. de indigitat. 1614. vocatur Gallicè [in privilegio dato 1599. republ. de Plat. Cl. Morell. 1600.] *lecteur & interprete ez languez Grecque & Latine.* Græcè [Hippocrat. de pharmac. 1617.] διδάσκαλος βασιλικὸς, & πρωτοδιδάσκαλος ὁ ἀρχιλυπόγραφος βασιλικὸς. Abbreviatè, Latin. P. T. R. [Benedict. de cœl. 1585.] Græc. T. B. [Theocr. 1585.] [l] Ariſtophan. Iren. 1589. [m] Edict. quæd. & artic. 1614 & 1615. chez Federic Morel & Pierre Mettayer imprimeurs & libraires ordinaires du roy.

tro

tro Mettayer uſus eſt. Solebat libros plurimos non tantùm [a] regis privilegio, ſed etiam, præſertim ſi argumentum ad religionem quicquam attineret, [b] theologorum Pariſienſium ſanctione communire.

Opera prima, quibus inclaruit poſt patris obitum, typographica anno 1584° fuere Lycophronis Caſſandra Græcè, Latinis Iambicis per Joſephum Scaligerum tranſlata; Pibracii tetraſticha Gallicè, Græcis & Latinis verſibus à Florente Chriſtiano expreſſa; ejuſdem præcepta moralia, heroicis à Prevotio: Baſilii imperatoris exhortationum capita per [c] acroſtichidem ad Leonem filium; & Georgii Piſidæ opificium mundi, & de vanitate vitæ poëmation. Hos libros duos non tantùm Græcè edidit, ſed utrumque Latinâ donavit interpretatione, Baſilium prosâ, Piſidam metricâ eodem carminum genere: illi præterea ſubnexuit Latinum poëma pro Henrici III inauguratione, huic præfixit Græcam ad Cardinalem Sirletum (quem digniſſimum virum ex Ant. Mureti ad ſe literis cognoverat) epiſtolam, Latinam ad lectorem, Senarios quoſdam ad Joannem à S. Andreâ, cum Latinis hendecaſyllabis & Græco hexaſticho in Piſidam: & variis lectionibus & notis non ſupervacaneis ad oram librorum adſcriptis. Ex his penès eruditos eſto judicium, quàm fuerit utriuſque linguæ peritus;

[a] Piſid. hexaëm. 1584. [b] Geometr. hymn. 1591. Amboſ. de reb. creat. 1586. [c] Initiales literæ ſingulorum capitum ſimul aggregatæ efficiunt has voces, Βασιλειος εν Χριστω βασιλευς Ῥωμαίων Λέοντι τῳ φιλοσόφῳ υἱῷ ϗ Συμβασιλεῖ.

quàm

quàm accuratè calluerit in utrâque ſcribere; quàm aptè & numerosè verſus, eóſque non uno genere, deducere; quàm limato politóque cum judicio exemplaria conferre; quàm rectè ac fideliter interpretari. De quo non injuriâ ſic clariſſ. [a] Huetius. *Quid in eâ exercitatione Federico Morello noſtro præſtantius, ſincero rerum explicatore, non ambitioſo, non fucato, non turgido?* Huetio adde [b] Jo. Aurati poëtæ & interpretis regii ſuffragium:

Morellus . . . . . .
. . . . . .
Scripta ſenioris junior Georgii,
Quæ Græca fuerant, exprimit
Sermone Latio, tam eleganter, tam piè,
Aliena ut efficiat ſua.

Hinc præterea liquet cum ætate nequaquam provectum id, de quo vel maximè ſeniores gloriari poſſint, præſtitiſſe: quod ipſe ſummâ cum modeſtiâ (individuâ ferè eruditionis veræ comite) [c] fatetur, —— *ne hìc offendaris aliquot maculis, quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura* ——. *Sed quò alacriùs hanc mihi des veniam, (adoleſcenti, quem identidem, vel ipſo hujus libri editionis tempore, cura rei domeſticæ & typographicæ provinciæ à ſtudiis avocavit)* —— Porrò ſcribit ſe ab hôc ſacro poëmate de divino opificio auſpicium lucubrationibus ſuis aliis feciſſe; quod poëma pa-

[a] De claris interpret. pag. 161. [b] Lege in initio Piſid. hexaëm. 1584. [c] in epiſtol. ad lectorem.

ter

ter aliquando ab amico quodam Græco ipſe à patre dono acceperat: & cum Joannis Sanctandreani antiquiſſimo manuſcripto contulerat. Eodem hôc anno Renati Biragi tumulum non modò excudit, ſed & ſuis carminibus cùm Latinis tum Græcis auxit. Fuit enim penè aſſidua illius conſuetudo, hujuſmodi epigrammatibus, tanquam Attico Romanóque ſale, [a] ſuas, nonnunquam [b] alienas, editiones inſpergere.

Huic debent authorum Græcorum opera alia lucem, alia verſionem, alia utramque, alia notas; [c] pleraque præcipuè veterum patrum ſcripta, in quibus Latinitate donandis operam collocavit, & ferè totus incubuit. Eruit [d] Empedoclis ſphæram ex bibliothecâ Sanctandreanâ; ex Regiâ, [e] Conſtantini Porphyrogennetæ themata, Libanii laudem [f] agriculturæ & [g] juſtitiæ, [h] Syneſii philadelphos, & alios quoſdam libellos; [i] elogium Pantaleonis; ex Medicæâ, [k] Marcelli Sidetæ iatrica, [l] Hieroclis tractatum de providentiâ, [m] Hieronymi diſputationem de baptiſmo, [n] Chryſoſtomi tres in Geneſin ſermones; ex Bavaricâ, [o] Libanii orationem adversùs adſeſſores; ex Palatinâ, [p] orationem anonymi fu-

[a] Piſid. hexaëmer. 1584. Benedict. de cœl. 1585. Æſchyl ſeptem Theb. 1585. Amboſ. de reb. creat. 1586. Gregent. 1586. Ariſtoph. iren. 1589. Philo de nomin. ſcriptur. 1593. Theocrit idyll. quæd. 1585. ubi in epiſtol. Græc. ad Φιλοθεοκρ. notat hæc idyllia hactenus mutila ſe ſuppleviſſe ex Nicolai Majorani MSto. [b] Thuan. tumul. apud Mam. Patiſſon. 1583. Quercetan. diætet. apud Cl. Morell. 1606. Cyrill. catech. apud eund. 1608. Archimed. apud eund. 1615. Paſſerat. calend. apud eund. 1606. Catull. Tibull. Propert. apud eund. 1608. [c] Lege ejus ad pap. epiſtol. in Phil. de nomin. ſacr. 1593. [d] 1586. [e] 1609. [f] 1602. [g] 1605. [h] 1614. [i] 1605. [k] 1591. [l] 1597. [m] 1598. [n] 1594. [o] 1610. [p] 1616.

nebrem in Conſtantinum juniorem; è Vaticanâ, [a] Libanii baſilicum, [b] Nic. Smyrnæi Artabaſdæ ecphraſin numerororum per digitos, cui præfixit manûs encomium octonariis trochaïcis; è Lindenbrogianâ, [c] Hieronymi dialogum de Trinitate; è Rutgerſianâ, [d] Tzetzæ allegorias: ex Iſ. Caſauboni MSS. membranis, Iliacum carmen anonymi poëtæ, anno editionis non adnotato. Omnia hæc Latinè interpretatus eſt, præter ſphæram à Florente Chriſtiano verſam; ex his pleraque annotationibus illuſtravit. Tempus me deficeret ſigillatim enumerantem, quàm varia hujuſmodi primùm ediderit opuſcula, [e] Græcè Geometræ hymnos, [f] Origenis ſcholia in orationem dominicam, [g] Gregorii Nyſſeni de reſurrectione concionem, & ejuſd. libellum περὶ τῆς θείας ζωοποιΐας (quem ſe primùm Græcè & Latinè dediſſe memorat in epiſtol. ante Philoſtrat. 1608.) [h] Marciani de ſitu orbis poëma, [i] proverbiales Græcorum verſus, [k] Hippocratis de pharmacis purgantibus libellum; Latinè, Philonis de [l] ſeptenario, & [m] nominum in ſacrâ ſcripturâ mutatione diſſertationes; horum omnium typographus idem & interpres. Balforeum in Gelaſii de Nicænâ ſynodo commentariorum editione, quam ipſe *operoſam* vocat, 1599 adjuvit, codice MSto ex Petri Stellæ bibliothecâ collato. Suas lucubrationes in varias poëtarum Græcorum fabulas ejus fidei, ut typis mandaret, credidit Q. Septim. Florens Chri-

[a] 1614. [b] Eod. [c] 1612. [d] 1616. [e] 1591. [f] 1601. [g] 1600. quam ſcribit ſe nactum fuiſſe in bibliothecâ μακαρίτου Ægidii Davidi affinis. [h] 1606. [i] 1594. 4° & 8°. [k] 1617. [l] 1614. [m] 1593.

ſtianus,

ſtianus, eíque grati animi pignus ſuam dicavit Septem-Thebanam. Sed obruit me numerus; & hærere in ſingulis ſtudentem prætereunt multa, quæ ex indice commodiùs petenda ſunt.

Præterire tamen non poſſum, quid de eo [a] Nicolaus Gulonius teſtatus fuerit. *Miramur hujus ſæculi homines ſuis fortunis diffidere, & ſumptus atque impenſas facere nolle, niſi in eas res, quæ continuò cum aliquo fœnore pecunias abſumptas poſſint rependere. Amicus tamen noſter collega Regius & profeſſor & typographus ſeria lucro præponens hujus tam divini operis ſuavitatem ſagaciter odoratus, Græca cum Latinis ſuis typis mandare, & in lucem proferre non dubitavit. Sed cùm is alia inſtituta & inchoata haberet opera, quæ priùs erant perficienda, & cogeretur omnis generis libros Græcos excuſos & paratos habere, quos Regii profeſſores publicè & quotidie interpretarentur, tardiùs quàm decuit, & quàm ipſe voluit, promiſſum abſolvit —— alterum exemplar minutiſſimis quidem maximéque compendiariis notis exſcriptum: quo adjutus noſter Morellus ſedulam operam navavit, & quædam adjunxit, quæ in tuo, ſcribentis errore, prætermiſſa fuerant, & alia confirmavit, quæ conjectata ſinè ope ullâ alterius codicis in orâ libri adſcripſeramus ——*

Scriptam ab eo habemus tragœdiam togatam, [b] Alexandrum Severum, ex quâ intelligamus, quàm Romanus hunc deceat cothurnus. Denique ut in Latinis non minùs quàm Græcis verſatum ſe pro-

[a] In epiſtol. Gregent. diſputat. præfix. 1586. [b] 1600.

baret, doctiſſimos confecit in [a] Statii ſylvas commentarios, in quibus plerique Græci & Latini auctores emendati & illuſtrati; Libanius præſertim, cujus ibi ἀνέκδοτα quædam, quædam antea in Ferrarienſi (1517) editione excuſa, ſed nunc partim conjecturis partim codicum antiquorum ope caſtigatiora, vulgantur.

Binas ad eum [b] à Juſto Lipſio miſſas epiſtolas hìc ſuis oculis ſubjici lector non gravabitur.

Federico Morello V. C. Lutetiam.

TUne ille es, mi Morelle, qui amicitiæ meæ fores ſuaviter pulſas? ades, ades, nemo hôc anno gratior mihi hoſpes. Præſertim qui Florente illo comitatus ad me venis: quem quis excludat, niſi quem Gratiæ & omnes Muſæ? Nam protectò illud Siculi vatis in eum convenit;

——— χαρίταν ἱερὸν φυτόν.

Deus bone, quàm me delectârunt illa tragica ejus ſive comica? Altera res tentata magno noſtro Scaligero, altera nec illi. Gratulare viro: cujus ego labori faveo, & maximè argumento. O quando nos & vos inviſet candida illa diva? Si quando; certè ego recto pede ad vos, mihi populariter tam amicos. Libellos epiſtolæ tuæ adjunctos percucurri: ſed hoc tantùm, nam herè demum accepi, cùm in viâ diutule hæſiſſent. Amavi & exoſculatus ſum tuum judicium in Thebaïde, quam voluiſti etiam producere in illud Europæ theatrum. Age, age, ſic oportet: inſerere (inquam) juventuti non ea quæ probantur maximè, ſed quæ probanda. Certè illa fabula ſublimis & ætherii ſpiritûs eſt; & ſoni

[a] 1601. [b] Epiſtol. ſelect. centur. 2da & 5ta.

in

in verſibus ſupra omnes tubas. Tu, qui legiſti, agnoſcis. Notas ad eam Florentis vidi, & amavi. Cui à me dicito, ſcriptum illum unà tecum non in externo & ambitioſo iſto amicorum albo, ſed cum paucis ἐκ τῶν φρενῶν ἑλλοις. Qui quòd elogia aliquot tam amica mihi tribuit; quædam non agnoſco, in quibuſdam nec ignoſco. Iraſcor in illo ad Thebaïdem, quòd me prætoris magni loco habet, ſe nec lixæ. Apage immodeſtam hanc modeſtiam: & ita me nôrit atque æſtimet, ut etiam ſe. Ejuſmodi viri (non ſinuoſo pectore hoc dico) magnus honos mihi, ſi non aſſeclæ mei, ſed collegæ. Illa judicia ejus de Scaligero patre caſtigatiora, & planè ex meo ſenſu. Laudabilior ipſe apud me, ob eas laudes. Nam quod de Tullio dixit vetus magiſter, *Profeciſſe multùm cui is placeret*; ego veriùs, magnum eſſe cui Julius iſte magnus. Cujus ego vitam jamdiu haveo mittere in ſcripta, ſi aliquod mihi auxilium ab iis, qui interiora & minuta illa vitæ nôrunt. Nam maxima nobis patent mirâ & ingeniosâ de ſe alibi atqûe alibi ſcriptione. Tu, mi Morelle, ut claudam & coërceam animum nimis ſe diffundentem, me amare perges, vel conſtantiæ tuæ causâ: ego quidem te ſeriò; per veſtigia Turnebi noſtri & munera euntem ad illud ipſum veræ gloriæ culmen. Lugd. Batavor. vi. id. Decem. ↀ. IↃ. Lxxxviii.

Federico Morello S. D. Lutetiam.

SUaves mihi tuas! ita Muſæ me ament. Nam ſilueras aliquando, & ego pariter: quid mirum (in me quidem) ubi nubes hæc & mœſtitia temporum impendet? Amœna aut amica omnia à nobis abeunt: pro virili quiſque ſatagit tueri ſe, ſubſiſtere, nec aliarum rerum eſſe. Apud expertum loquor; & hæc Enyo Galliam quoque & urbem veſtram infeſtavit, ſed minùs

minùs pertinaciter: & mitior Dea ſupervenit, & ἡσυχίη χαρίεσσα adſpexit, & ſibi vindicavit. O melior Galliæ pars, & animæ hujus, ut ſic dicam, ἡγεμονικὸν, ſic manete: & lucis aliquam ſpem nobis facite à luce illâ veſtrâ. Ominor, & fortaſſis ἀπ' ἄνωθ θείας ἐπιπνοίας. Sed ad tuas literas, ſignificas *de bibliothecis* te vidiſſe, & placuiſſe. Argumento non ambigo; tractatu fortaſſe, quia auctorem amas. Nam ἐπαίζειν te mihi, abeſt à candore tuo, qui non habet iſtos φενακισμούς. Cæterùm, libellus exiguus: ſed vel præviſſe in hôc ævo, & immani bonorum contemptu, nónne magnum eſt? Μαψιδίως fortaſſe, ut Homeriſſem: ſed conſcientia ſufficit, & viderint, qui delinquunt. De Italo, faciundum ſemel fuit, & iſtos χερσοβόλους rejiciendum, aut reprimendum. Dii boni, quæ copia eſt! In poſterum abſtineo,

Atque arma defunctámque bello
Barbiton hic paries habeto.

Te amo, atque utinam fruar, ἵνα τῶν ἀληθινῶν φίλων,

——*cujus ſe pectore Graia vetuſtas*
Condidit, & major collectis viribus exit.

Sit & mihi in eodem locus; in meo quidem, ὡς ἀνωθ tibi erit: ſed & Morantium adjungam, & curabo, quia tuum; & faxo, ut re factum dicat. Vale, ô optime, & φιλῶνλα ἀνλιφίλε. Lovanii. v. cal. Decembres, ipſo die, quo tuas vidi. 1602.

Federico Morello, [a] *cùm in pleriſque veterum patrum Græcorum ſcriptis Latinitate donandis operam collocaret, in eóque ferè totus incumberet, Philonis Hebræi de nominibus in ſcripturâ ſacrâ mutatis li-*

[a] Lege epiſtol. dedicat. ad Philon. de nomin. mutat. 1593.

ber

ber dignus visus est, qui primus in lucem prodiret, & Clementi VIII. pont. max. dicaretur: idque ejus consilium maximopere confirmatum est authoritate, sententiâ & beneficentiâ clariss. virorum, qui navis Parisiensis clavum tenent, præfecti videlicet mercatorum, & ædilium; qui pro suâ prolixâ & beneficâ naturâ & in doctrinæ ac pietatis studiosos benevolentiâ Philonici hujus opusculi Latinam interpretationem à Morello elaboratam *publicis impensis edendam censuerunt.*

[a] Ann. 1597. 10 cal. Decemb. in auditorio reg. Lutetiæ præfationem habuit in Senecæ (cujus libros de beneficiis & aliquot epistolas scholiis brevibus exposuerat) tractatum de providentiâ. Ex eâ præfatione liquet eum in Hebraïcis satìs versatum. Et certè puto eam esse inter tres principes illas linguas propinquam cognationem, ut perfecta nequaquam possit attingi Latinæ sinè Græcâ, neutrius sinè Hebræâ cognitio. Præfationem illam doctam & facundam concludit gratè recolendo, *quàm benignè Deus Galliæ fecerit, qui reges sapientes & justè regnantes ad novies septenos concessit: quantâ lenitate Henricus IV regiam potestatem & felicitatem temperaverit, quo nemo juventutis studia ad discendum acriùs inflammavit; cùm existimatione doctrinæ & probitatis, non censûs amplitudine, homines penderet; & maxima atque uberrima præmia constitueret eruditioni; doctis opima sacerdotia mandaret, honores deferret; eruditos omni liberalitatis ge-*

[a] Consul. Senec. oper. fol. apud P. Chevalier. Paris. 1613.

nere

nere complecteretur, ad res gerendas adhiberet, in ſummo dignitatis gradu collocaret. Nemo ſanè Federico Morello inter illius temporis literatos viſus eſt dignior, in quem regia beneficia collocarentur; cùm nemo eſſet, cujus induſtriam magìs augerent, & gratum animum magìs afficerent collocata Cum beneficiis enim quotidie creſcebant & certabant labores, quaſi hi ab illis ſuperari indignarentur. Nullam non arripiebat regius typographus occaſionem his xeniis in omni literarum genere regium patrocinium demerendi. Anno 1599° librum à Joanne Ferono de gentilitiis virorum togâ & armis apud Gallos illuſtrium ſtemmatibus ſcriptum continuavit, in ſuâ epiſtolâ regem ſic allocutus.

— *Le feu Roy Henry II voſtre beaupere — prit un grand plaiſir —— à la lecture d'un œuvre, qui luy avoit été dedié — par Jean le Feron, lequel contenoit les erections —— des conneſtables, chanceliers, grands maiſtres &c. —— Or cognoiſſant, que voſtre Majeſté eſt affectionée &c. —— j'ay fait revoir exactement, pourſuivre & accomplir par gens expers & entendus ledit ouvrage juſques au temps de vôtre regne* &c.

Federicus Morellus, quum tot ſuorum laborum fructibus educendis ſuum unum non ſufficere ſentiret, Claudii Morelli fratris prælum habuit ſubſidiarium. Huic imprimendos ſubmiſit anno 1600° libros Platonis Ariſtotelíſque politicos Gallicè à Ludovico Regio verſos, hos duobus Kyriaci Strozzæ ab ipſo verſis auctos, omnes cum Græco textu collatos, diplomate Regio in ſui gratiam impetrato:

trato: anno 1601° Florilegium epigrammatum ex Martialis libris ſelectorum & Græcis ejuſdem generis verſibus ab ipſo itidem expreſſorum; ac Libanii paraſitum Latinitate donatum: anno 1604° Dionem Chryſoſtomum cum ipſius recognitione & ſcholiis, [a] *typis regiis amictum*, in quo adornando quid præſtiterit Federicus Morellus, ex ipſius & Is. Caſauboni verbis accipimus. [b] *Ope trium MSS. ex bibliothecâ regiâ, patrum ſocietatis Jeſu, & J. Foxii; impreſſorúmque codicum Venetorum duorum, alterius Frid. Lindenbruchii, alterius Henrici Stephani πολυμαθεςάτε, notulis & interpunctis quibuſdam diſtincti & à Paulo Petavio commodati, Venetæ editionis maculas plerasque eluimus, & lacunas etiam aliquot replevimus.* —— *Nec tamen me fugit magnam adhuc ſegetem criticis ſupereſſe.* —— *Nos conjurati ἄγνοιαν reſcindere fratres, ἀμεσοφιλεῖχοδιωνοψόγες & ingratum fucos pecus non moramur*——[c] *Hujus operæ* (ſcribit Is. Caſaubonus) *ut etiam in publicum fructus manaret, Federicus Morellus academiæ hujus profeſſor clariſſimus bonum factum putavit, atque adeò impulſu hortatûque ſuo effecit. Quippe vir eruditiſſimus, cùm Aldinum codicem mendis quamplurimis deformem critico ſuo pumice magnâ curâ expoliſſet* &c. Quædam Catulli, Tibulli & Propertii anno 1604° ex Cl. Morelli officinâ prodeuntium carmina fecit Græca. Anno hôc eodem Baſilii Seleuciæ epiſcopi de invidiâ & avaritiâ concionem, quam Latinè verterat, & notis illuſtraverat, à ſe excuſam dedicavit

[a] Fed. Morel. dedicat. epiſt. ad Pompon. Bellievræum. [b] Ejuſd. ad lector. [c] Is. Caſaub. ad Henr. Stephanum.

Philippo Huralto, *cujus ab ineunte ætate φιλομάθειαν & φιλησοΐαν in auditorio regio docens fuerat expertus.* [lege epist. dedicat.] Anno 1605° notas, quas Isaacus Casaubonus à Francisco Porto in epistolas Synesii scriptas ejus fidei commiserat, lectas & recognitas, collatis regiis membranis aliisque MSS. codd. Claudii Morelli typis tradidit. Anno 1606° ex officinâ Claudii Morelli typographicâ prodiit [a] Libanii operum tomus primus, Federico editore & interprete, è MSS. maximè reg. bibliothecæ nunc primùm depromptus, cum magnifico doctarum notarum, variarum lectionum, & duplicis indicis apparatu, opus rege dignum & regi Henr. IV ab editore dicatum. Federicus in epistolâ ad regem nuncupatoriâ hæc habet. *En opus novum, vocale, literatum, ad quod moliendum nos impulit vox tua regalis, quâ usus es, cùm Aristoteleorum politicorum Gallicam editionem, à nobis auctiorem & ornatiorem factam & M. T. dicatam, fronte serenâ acciperes,* lætor ex animo, cùm ejusmodi opera à professoribus meis suscepta confectáque conspicio, & bibliothecæ meæ opes bono publico publicatas; nec ullus mihi inter prospera lætior unquam nuncius advenit. *Hæc ut audii, —— aditu ad bibliothecam tuam —— patefacto —— consilium mihi fuit facultates & valetudinem meam post tuam dignitatem & imperium posthabere, nec ullum laborem improbum fugere —— Ita-*

[a] Libanii multas antea seorsim lucubrationes ediderat: viz. morosum 1597. ecphras. calend. 1601. parasit. 1601. laud. agricultur. 1602. justit. 1605. basilic. 1614. alias item in suis ad Statii sylvas notis: viz. ethopœiam pictoris Apollinem picturi; ignavi pictum bellum intuentis; Achillis super Patroclo; Menelai de Agamemnonis interitu; ecphras. veris; ethop. Niobes super liberis; cum multis aliis tunc ineditis.

que

que Libanii opera oratoria hactenus vel inculta, vel ἀνέκδοτα, *vel negligenter & mendosè Græcè edita—— delegimus, exscripsimus, recensuimus, & in Latinum sermonem convertimus: idque horis subcisivis à regio publicè docendi munere, quod abhinc* [a] *21 annis mihi munificentiâ regiâ est impositum.* —— In carmine Hieron. Seguieri ad Henr. IV pro restituto Libanio ζυγχαιρικῷ hæc leguntur;

——hoc Libanî tibi consecrare volumen
Gemmatum fratres concertavere Morelli,
Mandatúmque typis, emendatúmque decenter;
Quorum alter Graiæ interpres Latiaéque Camœnæ
Regius est, alter typicâ præclarus in arte;
Qui veteres rimantur opes, & scripta requirunt,
Te quibus imperiúmque tuum exornare laborant.

Federicus in epistol. ad lector. mentionem facit Ferrariensis codicis à clarissimo & eruditissimo senatore Ste. Turnebo accepti, nonnullis in locis correcti & lectionibus variis aucti; & pervetusti cod. MS. quem ei concessit Jo. Veillart reg. cons. & logorthota. [Libanii μελέτ, λόγοι, ἐπιφάσεις, excusæ sunt Ferrariæ 1517. 4to. Quam Federicus Morellus macram, μονόγλωττον, typorum maculis πιναρὰν, operarum mendis scatentem, inamœnam, caram tamen, editionem vocat.]

Anno 1608° apud Cl. Morell. excusa sunt Philostratorum opera, quæ Federicus cum MSS. quæ Is. Casaubonus regiæ bibliothecæ chartophylax suppeditaverat, contulit, recensuit, & hactenus

[a] Anno scil. 1585. Vide priùs p. 117. in not. ad liter. (l).

nondum Latinitate donata vertit: monens lectorem, quæ ab aliis accepit auxilia. Nam Stephanus Turnebus reg. consiliarius emendationes & notas in εἰκόνας utriusque Philostrati è libro parentis sui Adr. Turnebi sedulò collectas, Andreas Schottus quasdam in Græca animadversiones, Paulus Petavius codicem suum scholiis & glossis oneratum, suas quisque symbolas, misit.

Annis 1609 & 1611 ex ejusdem Cl. Morell. prælo exierunt duobus tomis Gregorii Nazianzeni opera, tunc primùm Græcè & Latinè conjunctim edita; quæ Federicus auxit aliquammultis Gregorii epistolis nunquam antea excusis & à se Latinè versis, notis illustravit, MSS. vetustos comparando codices, quos reg. bibliotheca, & Jac. Aug. Thuanus suppeditaverat. Quos alios habuit & in sumptibus faciendis & in opere suo adjutores, gratè recognoscunt ipsius ad pontificem max. & lectorem & Perronium archiepiscopum epistolæ; cujus Perronii hortatu Henricus IV & Ludovicus XIII Federico Morello & regiis aliis professoribus stipendia atque honoraria auctiora & luculentiora constituerunt.

Neque solùm à regibus principibúsque in suâ patriâ viris gratiam inire suis laboribus eruditis studuit, sed etiam exteros literariis muneribus demereri, si quos literarum & literatorum amore flagrantes animadverteret. Monarchis enim & magnatibus nulli est honori esse illiteratos: nec majorem magnus ille Alexander ex gentibus devictis quàm ex liberalibus disciplinis, quibus eum Aristoteles

ſtoteles imbuerat, reportavit gloriam. [a] Federicus itaque, cum Jacobi I. magnæ Britanniæ & Hiberniæ regis ἢ περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαν ex Iſaaco Caſaubono κηδεστῆ & ſuo in regiâ profeſſione collegâ intelligeret, ei inſcripſit anno 1612° Libanii encomia palmæ, pomi &c. à ſe recenſita & Latinè verſa. Anno 1614° Ferdinando Bavariæ duci ſuam Philonis de ſeptenario interpretationem nuncupavit.

Anno 1614° Mauſſacus Harpocrationis lexicon ſuppletum & emendatum produxit in lucem, uſus codice MSto, cujus copiam ei fecerat Federicus Morellus.

Ab orbe Chriſtiano digna non poteſt gratia referri noſtro Federico, qui in SS. eccleſiæ patribus edendis & adornandis nullum refugiebat laborem. Quod anno 1617° in Baſilii operibus præſtitit, ſic prædicant bibliopolæ Pariſienſes. *Federicus Morellus profeſſorum regis decanus, ad hanc regiam Baſilii magni* λόγων ὠφελίαν αὐτόμολος, *ut Menelaus Homericus ad Agamemnonis fratris, acceſſit.* Ἥδεε γὰρ κῆρ θυμὸν ἀδελφεὸν ὡς ἐπονεῖτο. *Quare prælo fraterno præeſſe non gravatus, Græcæ editionis Baſil. menda, quibus ſcatebat, quod ad interpunctiones & proſodiam ſpectat, ut ex contextu tollerentur, ſtuduit; interpretum Latin. verſionem labefactatam ſubinde ſubſidio ſuo integravit, obſcuratam illuſtravit: Græca mutila partim MSS. cod. ſuorum ope, partim conjecturâ ſuâ reſtituere tentavit, ut è notis ipſius ad calcem appendicis*

[a] Lege epiſtol. dedicat. ad Liban. laud. palm. pom. &c. 1612.

rejectis

rejectis animadvertes. Idem quas à Davide Hœschelio μακαρίτᾳ variarum lect. observationes emendationésque acceperat, recognovit & fideliter exhibuit: porrò noviſſimis ejuſdem literis rogatus, ut Gennadii epiſtolam περὶ διορισμῶν, perelegantem & eruditam, Græcè pridem ab ipſomet accuratè editam, lacunis tamen & maculis quibuſdam affectam, Latinè converteret, laborem non recuſavit; eóque libentiùs fecit, quòd illo Gennadii ſcripto apologiam aſſertionis Baſilianæ de prædeſtinatione atque elogium Baſilii graviſſimum contineri perſpexiſſet.

Annus jam agebatur 17us, ex quo Federicus Morellus non modò ſuum ſed & fratris Claudii prælum fervidè urgebat; quum jam typographico munere per annos 34 defunctus (nullum enim librum ultra 1617 ab eo excuſum vidi) laborem non minuere, ſed partim mutare partim augere conſtituens, ad librorum, quos frater excuderet, curam totum ſe deinceps convertit.

[a] Vetuſtiſſimum ſuggeſſit codicem, cujus ope Dionyſ. Petavius uſus eſt in Themiſtii orationibus apud Cl. Morell. anno 1618° impreſſis.

Anno 1618° moralia & 1619° vitæ Plutarchi Gallicè ex Jacobi Amyot verſione apud Cl. Morell. poſt varias antea editiones redierunt in lucem eo cultu, eâ formâ, quæ celebratiſſimum authorem deceat. Huic editioni multum contulit Federicus Morellus, cujus [b] Gallicam ad lectorem monitionem exſcribere libuit, quippe quæ multa ad

[a] Lege præfat. ad lector. Themiſt. Cl. Morell. 1614. [b] Præfigitur initio vitæ.

Fede-

Federici Morelli vitam ſpectantia & alibi non obvia contineat.

Advertiſſement de Fed. Morel, doyen des imprimeurs & profeſſeurs du Roy.

J'AY occaſion de reputer à quelque bonheur de ce que je trouvay moyen des mon adoleſcence de venir à la cognoiſſance & converſation de ce grand perſonnage meſſire Jacques Amyot eveſque d'Auxerre & grand aumoſnier de France, illuſtrateur & amplificateur de nôtre langue Françoiſe, pour luy avoir communiqué quelques paſſages de Plutarque, que j'avois conferé avec l'original Grec, ou je pouvois avoir apperçu tantoſt quelque manquement de mots de conſequence, qui eſtoient au texte Grec, & ne ſembloient point eſtre exprimez au François : tantoſt quelque traict d'un poëte Grec, qui avoit été pris pour de la proſe, ou quelque conformité des auteurs, orateurs, poëtes, hiſtoriens & juriſconſultes, qui pouvoient eſclaircir quelque lieu obſcur & ambigu de Plutarque. Auquel propos il eſt bon de vous advertir d'une correction ſignalée, laquelle à eſté obmiſe par meſgarde en cette preſente edition en la vie de Ciceron pag. 572. ou cecy ſe lit : on avoit quelque opinion, que Marcus Gellius n'eſtoit pas né de pere & mere francs & de condition libre ; & un jour au ſenat il leut des lettres avec une voix haute & claire à mer-

merveilles: adonc Ciceron ſe print a dire à ceux, qui eſtoient autour de luy; ne vous en esbahiſſez pas, car il eſt de ceux, qui ont eſté crieurs. *Sur lequel apophthegme ayant adverty ledit ſieur Amyot, que Mr. Cujas mon maiſtre avoit declaré y avoir faute en cette verſion Françoiſe, en une leçon, qu'il nous avoit faict à Bourges ſur le* vii *du code, au tiltre* 18. Ad libert. proclamare, quibus non licet &c. *à quoy ſe raportent ces mots de Plutarque,* αὐτὸς ἐις ἐςὶ τ ἀναπεφωνηκότων. *Ledit prelat trouva cet advertiſſement bon, & la pointe du traict du prince des orateurs plus aigu, lequel il penſa devoir eſtre ainſi reformé & repreſenté*; car il eſt un de ceux, qui ont autrefois proclamé; ou bien reclamé, pour eſtre reſtablis en pleine & entiere liberté. *Dont ce ſçavant & excellent prelat me ſceut tousjours ſi bon gré de l'affection & du reſpect, que je luy portois avec un peu d'induſtrie & amour des bonnes lettres, qu'il me commanda de le viſiter ſouvent, encore qu'il euſt desja* [a] *grand age, & de grandes charges du royaume, qui ne l'empeſcherent pas de trouver quelques occaſions de me gratifier, en m'inſtruiſant touſjours de quelques beaux preceptes & enſeignemens, concernant principalement la philoſophie & pieté Chreſtienne, durant quelques voyages, auſquels il voulut, que je luy tinſſe compagnie, lors meſmement qu'il mettoit au net les corrections, conferences & varietez de leçons ſur le texte de Plutarque collationné avec les manuſcrits Grecs, ſuivant leſquels il corriga, eſclair-*

[a] Jacobus Amyot obiit anno 1593. Feb. 7. natus 79 annos. Vide vitam ejus in initio vitar. Plut. hujus editionis.

cit

cit & enrichit ſes premieres verſions Françoiſes ; leſquelles corrections, augmentations & ſupplemens il me laiſſa en garde, & me chargea de les ſuivre & repreſenter fidelement aux impreſſions nouvelles, qui ſe feroient dudit auteur, encore qu'il ſe contenta fort de la beauté & bonne correction de l'impreſſion, qui avoit été faicte par mon ayeul Michel Vaſcoſan, & Fed. Morel mon pere, qui avoient tenu, exercé & conſervé ſoigneuſement & honorablement l'impreſſion royale, de laquelle il me fiſt de ſa grace impetrer la ſucceſſion, de Henry III. d'auguſte memoire : comme auſſi du depuis la profeſſion royale en eloquence Grecque & Latine, par le bienfait & munificence de ſa dite majeſté. C'eſt pourquoy je deſire faire imprimer par cy apres les corrections Grecques cy deſſus mentionnées, que le meſme ſeigneur & bienfaicteur me donna comme en depoſt pour le bien public : encor que j'en ay desja divulgué une bonne partie en ſon nom en mes notes tant ſur Dion Chryſoſtome, Syneſe, Philoſtrate, Baſile le grand, Gregoire de Nazianze, & ſur le premier tome de l'orateur Libanius ; comme és annotations ſur les bocages du poëte Stace, pour faire plaiſir aux amateurs de la langue Grecque, & mettre hors de peine quelques hommes de ſçavoir, qui s'eſbahiſſoient de quelques endroits du Plutarque François, qui ne ſembloient pas bien répondre a l'original Grec, qui eſtoit intereſſé, & eſt reſtitué par les emendations & conferences avec les vieux manuſcrits : ce qui toutefois ſe pourra faire plus commodément & utilement à une impreſſion nouvelle de Plutarque Grec & Latin. Et alors auſſi par un meſme moyen l'on

pourra divulguer opportunément les dernieres corrections & ſupplements dudit prelat ſur les autres traductions de Diodore Sicilien, Heliodore, Longus, Olympiodore, Athanaſe, & de quelques tragiques Grecs, que nous preparons de mettre ſous la preſſe.

Hunc etiam emendatorem & prælectorem habuerunt OEcumenii & Arethæ opera, quæ poſtea anno 1631° Carolus Morellus emiſit.

Ex his licet metiri Federici Morelli ſpectatam inter eruditos doctrinam, literarum in omni genere peritiam, agilem induſtriam, labores exantlatos, & plures (ſi longiùs vixiſſet) exantlandos.

Inter ultima, quibus manum admovit, opera non ſatìs laudare poſſum opus (utì vocat) regium, Libanii volumen ſecundum orationes 36 cum aliis paucis enarrationibus complectens, quod (utì in ipſius fine legitur) 2 kal. Octobr. anni 1626 abſolutum eſt. Ex quibus codicibus MSS. aut editis, & bibliothecis varias illas orationes, ecphraſes & ethopœïas collegerit, in indice præfixo ſigillatim lectorem monet Federicus. Is grande illud & magnificum opus Ludovico XIII inſcribit epiſtolâ nuncupatoriâ; in quâ ſuarum quarundam lucubrationum catalogum ſic recenſet.

—— *Quidni nos Galli regum noſtrorum jure optimo amantiſſimi eâdem illos obſervantiâ ac veneratione non coleremus, quocunque ſaltem modo poſſumus? Equidem annis abhinc non paucis in eo operam, curam, ſtudiúmque ultro contuli, nec facti pœnitebit (opinor) unquam. Enimvero præludia primitiäſque ingenioli Carolo*

Carolo IX duobus ſolidis columinibus pietatis & juſtitiæ firmiter (quoad vixit) innixo, adoleſcentuli, poëmatium heroicum obtulimus: in ejuſdem etiam præmaturo obitu lugubrem nobis ephebis cantum præcepit Melpomene. Deinde Henrico III, in quo fulguravit veriùs dicta piæ regia vis facundiæ, Baſilii magni & B. Joannis Chryſoſtomi homilias ſelectas è Græcis tum Latinè tum Gallicè à me redditas, præter aliquot alia opuſcula, dedicavi. Poſtremò Henrico ter quater magno heroica elogia, & Ariſtotelis politicorum editionem cum Ludovici Regii egregiâ verſione & explanatione Gallicâ, à me recognitâ & locupletatâ; itémque primum Libanii rhetoris Antiocheni operum tomum Græcis characteribus regiis ex noſtrâ interpretatione Latinâ notis illuſtratâ ſacravimus. —— Præterea cùm eidem R. maximo illius Attici oratoris ſermonem pro Antiochenis apologeticum apud Theodoſium ſeniorem habitum, Romanâ linguâ à me expreſſum, bilingui editione obtuliſſem; percontatus, quodnam orationis illius eſſet ſubjectum, ubi percepiſſet huic rhetori propoſitum fuiſſe, imperatorem Antiochenis rebellibus meritò ſuccenſentem ad miſericordiam in ſubditos facinoris pertæſos exercendam inducere, eò quòd lenitas ac manſuetudo inter regias virtutes principatum teneat —— tum rex μεγαλοψυχότατος *idémque* μακροθυμότατος *—— mihi ſeriò injunxit, ut aureolum ſermonem illum ſecundo Libanii ſcriptorum tomo inſererem, cujus apparatûs editionem Ludovico ſuo non abs re nuncupari volebat. En pareo juſſis* &c.

In Leon. Allat. Ap. Urban. de Morello conqueritur Leo Allatius, *quòd multas Libanii orationes, non-*

dum nec Græcè nec Latinè editas, Morello Lutetiam miſiſſet, ut ederentur; quas ille ſuppreſſo Allatii nomine ſub codicis Romani titulo publicavit. Quod ſubindicandum eſſe cenſuit, ut ſciant rei literariæ ſtudioſi politiſſimas orationes, Leone illas typographis ſuggerente, cuſas fuiſſe.

Triennio poſt abſolutam Libanii editionem morte tandem occubuit Federicus Morellus [a] ann. 1630. 27 Jun. cui uni id meritò obtigit, ut eodem tempore regiorum typographorum prælo architypographus, interpretum & profeſſorum cathedræ decanus præeſſet.

Uxorem duxerat Iſabellam Leodegarii à Quercu in linguâ Latinâ profeſſoris Adrianóque Turnebo amiciſſimi filiam; quæ mortua eſt, cùm ipſe [b] Libanii interpretationi operam daret: eò æquiore animo orbitatis infortunium laturus, quòd, dum privatâ conjugis jacturâ mactabatur, rempublicam literariam fœtu hôc Libaniano augeret.

Fervido, quo animus ejus incendebatur in literas, amori etiam in nuptiis conſuluit, & in regii profeſſoris familiâ ſibi quæſivit affinitatem; adeò ut matrimonium voluerit contrahere non aliud quàm

[a] La Caille. pag. 168. qui filiis hujus Federici annumerat Claudium typographum & bibliopolam; quem ſuſpicor confundi cum Claudio Morello Claudii, qui Federici frater erat, filio: de quo poſtea. [b] Paul. Colomeſ particular. pag. 318. edit. 1709. J'ay appris de M. Voſſius, que Federic Morel travaillant ſur Libanius, quelcun luy vint dire, que ſa femme étoit fort malade; à quoy il repondit; *Je n'ay plus que deux ou trois periodes a traduire, apres cela je l'iray voir.* Quelcun retournant luy dire qu'elle s'en alloit, *je n'ay plus que deux mots*, dit il, *j'y ſeray auſſi toſt que vous.* Enfin comme on luy vint annoncer, que ſa femme eſtoit morte, *j'en ſuis bien marry*, repondit-il froidement, *c'eſtoit une bonne femme.*

lite-

literarium. Nunquam certè poterat à ſtudiis avelli, dum ejus lateri individua hærebat comes, cujus conſpectu in memoriam ſemper revocabatur, qualem ſocerum elegiſſet, qualem generum ſocer ille doctiſſimus expectaret.

Huic patri, huic avo, digniſſimi contigerunt nepotes. Federicus enim noſter ſuſcepit prolem utriuſque ſexûs; liberos duos, Joannem & Nicolaum; filiam unam, Catharinam. [a] Joannes anno 1594. 16 Nov. Catharina ann. 1596. 25 Jul. naſcebatur. Ille Rhemenſis collegii principalis, operúmque plurimorum author inclaruit. Hæc anno 1615. 28 Jun. nupſit Claudio Prevoſt, conſiliario regio & Stampæ ducatûs ſub-præfecto.

Nicolaus à patre neutiquam degener in [b] regiorum interpretum numerum aſcriptus eſt; in quo loco ſe dignè geſſit, & ſcripſit multa, quæ fidum peritúmque interpretem deceant & non ignobilem [c] poëtam.

[a] Caille. p. 168. [b] Nicol. Morellus Federici fil. interpr. reg. Menandri & Philiſtionis ſententias comparatas ſenariis Latinis expreſſit, notáſque ad Latinam & Græc. editionem adjecit. Ejus verſio prodiit ann. 1614. apud Feder. Morell. architypogr. reg. Hæ verò ſententiæ Græcè ex biblioth. reg. curâ Nic. Rigalt. excuſæ ſunt à Rob. Steph. 1613. [c] Librorum editionibus ſua ſæpe inſeruit epigrammata; e. g. hendecaſyll. in edit. Stat. 1601. epigram. in Dion. Chryſoſt. & Liban. abſolutam editionem. Lege Dion. 1604. & Liban. tom. 2. 1627. Latina fecit è Græcis Jo. Baptiſtæ de Machault in edit. Marcian. Heracl. 1606. & Philoſtrat. 1608. & Liban. tom. 1. 1606. & Nic. Gulonii, in Alex. Sever. tragœd. 1600. Idem ad imitationem authorum, qui ſe exercuerunt in argumentis ludicris jocoſiſque, *ſive ut levamentum aliquod negotiorum indè peterent, ac temporis partem eruditis iſtiuſmodi nugis fallerent, ſive ut doctrinæ ſuæ, ingenii ac induſtriæ aliquod documentum in pertractandis rebus frivolis ac omnium judicio contemptiſſimis publicè darent,* (e. g. laud. podagræ, pulicis, umbræ, aſini &c. nihil, nemo &c. prodierunt Lugd. Batav. 1623. ex variis ſcriptoribus collect.) pulveris encomium, breve ſed terſum poëmation, anno 1614° edidit.

Federi-

Federicum Morellum unà cum ſuis majoribus commune ad S. Benedicti ædem (è cujus duûmviris togatis unus erat παροικίας γαζοφυλακείῳ præfectus) [a] ſepulchrum complectitur.

[a] Lege priùs p. 29, 30.

VITA

VITA
CLAUDII MORELLI.

CLaudius Morellus [a] Federici Morelli primi filius [b] ſecundi frater [c] viâ Jacobæâ ad inſigne fontis habitavit, [d] bibliopola & typographus Pariſienſis, aut [e] in academiâ Pariſienſi. Mentio ejus nulla (quantum hactenus ſcire licuit) ante annum 1599; quo vitam Pet. Rami Nancelio authore excudit. Libris pleriſque ex prælo ſuo exeuntibus præfigebat [f] fontem, [g] aliquando cum hôc Græco Pentametro;

Ἡ Ϛοφίας πηγὴ ἐν βιβλίοισι ῥέϵ.

nonnunquam [h] inſigne regium cum lemmate, aut [i] ſinè lemmate; nonnumquam [k] nullum; in qui-

[a] Lege priùs pag. 96. [b] Pag. 129. l. 17. [c] Vit. Ram. 1599. [d] Lege privileg. code Henr. III. 1601. [e] Juvenal. 1602. [f] Vit. Ram. 1599. du Cheſne, traité de la medecine. 1626. [g] Piſid. hexaëmer. 1618. Plutarq. 1618. [h] Harpocrat. 1614. [i] Accipitrar. ſcript. 1612. [k] Artemidor. 1603.

buſdam

buſdam [a] ſcutum Franciæ cum pietatis & juſtitiæ figuris (utì antea [b] Federicus frater), aut [c] Lutetiæ urbis Pariſiorum topographiam.

Claudium conſtat Stephani Prævoſtæi typographiâ uſum fuiſſe, & Marcum Orry etiam habuiſſe conſortem; quòd illius nomen [d] Gretſeri inſtitutiones in fine, hujus in initio gerant quædam [e] Artemidori, [f] Syneſii epiſtolarum, & [g] Philoſtrati exemplaria.

Editionum quarundam jus uni ſibi firmabat [h] auctoritate regiâ; aut eccleſiaſticâ, viz. [i] provincialis ſociet. Jeſu vel [k] Sorbonæ theologorum. In quibuſdam exhibebat privilegia aliis tantùm, utì [l] Federico Morello, [m] Bartholomæo Macæo, [n] Abeli L'Angelier; in pluribus & ſibi ſimul & aliis, utì [o] Sebaſtiano Nivellio, Petro L'Huillier, & Jameto Mettayer; aut [p] Michaëli Sonnio; aut [q] Michaëli Sonnio & Sebaſtiano Cramoiſy conceſſa.

Typis Regiis in excudendis [r] Dione Chryſoſtomo, [s] Gregorio Nazianzeno, [t] Jo. Chryſoſtomo, & [u] rei accipitrariæ ſcriptoribus uſus eſt; ſed neſcio,

[a] Code Henr. III. 1601. [b] Pag. 118. [c] Paſſerat. in Catull. Tibull. Propert. 1608. [d] 1609. *in fine ſic legitur.* ex typ. Steph. Prevoſteau, viâ D. Joan. Later. in colleg. Cameracenſi. 1607. [e] 1603. [f] 1605. [g] 1608. [h] Bulenger de ſpol. 1601. [i] Maldonat. in Jerem. 1610. [k] Diſproof of Abbot's counterproof. 1614. [l] Politiques d'Ariſtote & de Platon. 1600. [m] Martial. 1621. [n] Paſſerat. calend. 1606. [o] Code Henr. III. 1601. [p] Martial. 1607. [q] Greg. Nyſſ. 1615. Baſil. magn. 1618. Themiſt. 1618. Epiphan. 1622. [r] 1604. [s] 1608. [t] 1609. [u] 1612.

an

an ante annum [a] 1623[m] typographi regii titulum adeptus fuerit.

Illius in bonis literis peritia venire in dubium vix poteſt, non modò ex iis, quæ [b] aliquorum librorum initio præfatus eſt; ſed & maximè quòd Federicus frater in partem eruditi laboris ipſum vocaverit. Jam ſatìs in Federici [c] vitâ fuit demonſtratum, quantâ diligentiâ par illud fratrum nobile per annos 26 operas in rem literariam mutuas contulerint.

Operæ pretium eſt legere, quale ſocietas librariorum & typographorum de illo teſtimonium reddiderit in ſuâ ad Michaëlem Marilliacum Franciæ procancellarium epiſtolâ, cùm ei S. Athanaſii opera anno 1627° dedicaret.

—EXcuſa non ita pridem ſumptibus noſtris tot patrum Græcorum monumenta; ut ſunt Chryſoſtomorum, Johannis & Dionis; Baſiliorum, Cæſarienſis & Seleucienſis; Cyrillorum, Hieroſolymitani & Alexandrini; Gregoriorum, Nazianzeni, Thaumaturgi & Nyſſeni; item Epiphanii, Dionyſii Areopagitæ, Juſtini Martyris, Euſebii Pamphili, Syneſii, Macarii: inter

[a] Pindar. 1623. lege privileg. ad *du Cheſne, conſeils de medecine.* dat. ann. 1624. 7 Mai. In Theodoret. de provident. & Æſop. 1625. titulus ille omittitur. La Caille pag. 190. ſcribit eum in regiam typographiam admiſſum fuiſſe ann. 1602. Id tamen non video comprobari aut ex privilegiis aut ex titulis librorum. [b] Typograph. ad lector. in Maldonat. comm. in Jerem. 1610 & Syneſ. epiſt 1605. Petrus Faber (in comm. ad Cicer. academ. 1611.) Adriani Turnebi diſcipulus Claudii Morelli operam laudat & ſtudium & emendationis curam. [c] Lege priùs pag. 129.

prophanos denique Archimedis, Philoſtrati, Libanii, Diophanti, Codini, & cæterorum, quorum omnium editioni regiæ præfuit Cl. Morellus ſocietati noſtræ confœderatus, nuper fato præmaturo nobis ereptus. Præterea multa ſumptibus propriis Græcorum patrum volumina, tanquam poſthumos typographiæ ſuæ regiæ fœtus, poſteritati reliquit ; unde certè piorum omnium judicio adeò bene de republicâ meritus exceſſit, ut operibus jure ſuis ſuperſtes vivere debuiſſet. E quibus Athanaſium hunc tanto nomine digniſſimum —— tibi —— dicamus —— antiqua ſocietas librariorum & typographorum Romanæ & Græcæ eccleſiæ ſanctiſſimorum patrum.

Michael Sonnius.
Vid. Claudii Morelli.
Sebastianus Cramoisy.

Huic non ſolùm Athanaſii (cui poſt Claudii Morelli obitum finito ejus vidua ſuum nomen ſubſcripſit) ſed aliis etiam patrum (viz. [a] Epiphanii, Gregorii Neocæſarienſis &c.) editionibus, quæ illius curâ ac ſumptibus cum Michaële Sonnio & Sebaſtiano Cramoiſy collatis lucem antea viderant, præfigitur templi S^tæ Sophiæ figura, iconibus hinc Dionyſii Areopagitæ & Athanaſii, illinc Baſilii & Epiphanii ad latus adſtantibus ornata; ſubjectis ſingulorum trium, qui operi manus adhibuerant, typographorum inſignibus, cum lemmatibus propriis; Sonnii viperâ de S. Pauli manu pendente [[b] ſi Deus pro nobis, quis contra nos?] Morelli fonte [ἡ πηγὴ ζοφίας ἐν βιβλίοισι ῥέει] Cramoſii ciconiis [[c] Honora patrem tuum & matrem tuam.]

[a] 1622. [b] Rom. viii. 31. [c] Matth. xv. 4.

Claudius

Claudius Morellus in mediis, quos assiduus exhauriebat, laboribus humanis rebus exemptus biennio fratri Federico præivit ad plures, [a] 16 Nov. ann. 1626. vitâ defunctus.

[b] Joannam Henry duxerat, quæ ei peperit liberos; Federicum ann. 1614. 27 Jan. & Carolum, Claudium ac Ægidium. Hi tres paterni laboris & laudis hæredes non passi sunt artem typographicam cum patre Claudio & avunculo Federico penitùs interire.

[a] La Caille. pag. 191. [b] Ibid.

DE
Claudio Morello Filio.

NIhil certi de hôc Morello habere me fateor, quod gravibus argumentis & indiciis queam ſtabilire. In omnibus, quæ Johannes de la Caille memoriæ prodidit, ita hæreo, ut, licèt me multùm torſerim, ſi fortè quid lucis in his tenebris poſſem deprehendere, illum ferè typographorum albo excluſiſſem, niſi reclamaret vir de rebus typographicis optimè meritus & fide quidem digniſſimus, utpote qui non tantùm magnam adhibuit diligentiam, ſed multa etiam nactus eſt adjumenta, quibus faciliùs ſuorum popularium typographorum origines erueret. Ipſius itaque verba ſimul & illas, quæ me ad dubitandum impellunt, cauſas producam.

Caille.

Caille. p. 142. *Frederic Morel —— a laiſſé pluſieurs enfans, entr'autres Michel —— Frederic, & Claude, dont nous parlerons dans la ſuite.*

Claudius hic, quem annumerat Federici primi filiis, neuter fuit eorum, quos poſtea memorat; quorum alterum Federici ſecundi filium (p. 190.) alterum nepotem (p. 262.) fuiſſe ſcribit.

Caille. p. 190. *Claude Morel fils de Frederic, dont nous avons parlé cy-devant pag.* 167. ——

At Federicus ille (de quo agit pag. 167.) fuit Federici primi filius; & Claudio (de quo pag. 190.) erat pater Federicus non ſecundus, ſed primus; uti antea [a] probatum eſt.

Caille. pag. 190, 191. *Claude Morel —— a laiſſé pluſieurs enfans —— Charles —— Frederic —— Claude né le quatorziéme Janvier* 1615. *mort à Villemonde, & apporté à Paris le quatorze Juin* 1634, *pour être inhumé à Saint Benoiſt avec ſon pere; nous en parlerons encore dans la ſuite.*

Et pag. 262. *Claude Morel fils de Claude, dont il eſt parlé cy-devant pag.* 190. *acheva de faire imprimer en* 1627 *quelques feuilles de* Athanaſii opera Gr. Lat. *deux volumes in folio en* 1627 *& de* Libanii orationes Gr. Lat. *in fol. que ſon pere n'avoit pû mettre au jour, la mort l'ayant ſurpris ſur la fin de ces deux ouvrages. Il fit encore imprimer en* 1631. Theophylactus in quatuor evangelia Gr. Lat. *in folio en* 1631. *& autres. Il mourut le quatorziéme Juin* 1634.

[a] Pag. 141.

Si

Si Claudius hic 14 Jan. 1615. natus sit, & anno 1627° Athanasii & Libanii editiones absolverit, eum oportet typographiæ vacâsse, antequam annum 14^m attigerit. Præterea in secundi Libaniani voluminis fine hæc leguntur:

Hoc secundum Libanii sophistæ volumen absolutum est, 2 kal. Octobr. anni reparatæ salutis MDCXXVI; scilicet ante obitum Claudii patris, qui 16 Nov. ann. 1626. mortuus est.

Quod Athanasium spectat, qui anno 1627° prodiit; Claudii Morelli viduam, non filium, memorari [a] invenio.

Denique Theophylacti editioni 1631 Caroli, non Claudii, Morelli nomen adscriptum lego.

Hæc itaque cùm sint tot difficultatibus, tantâ obscuritate, tot rebus inter se minimè convenientibus & plerumque pugnantibus, involuta, nihil adhuc possum affirmare, donec aliquis adsit vindex, qui hos nodos nobis expediat.

[a] Vide priùs pag. 146.

VITA

[a] CAROLI MORELLI.

CArolus Morellus typographus regius & bibliopola Parisiensis, viâ Jacobæâ ad insigne fontis, emisit in lucem anno 1628° *l'histoire des grands chemins de l'empire Romain*; 1629° Turtureti parallela ethica & juridica, cum privilegio regis 1629. mens. Ja-

[a] Caille. p. 191. *Charles né le sixiéme Janvier 1612. & receu libraire le vingt neuf Juillet 1627. & p. 270. Charles Morel fils de Claude fût receu imprimeur & libraire le dix neuf Juillet 1629. & imprimeur ordinaire du roy en la place de feu son pere, par lettres du vingt Janvier 1635. Il imprima les grandeurs & excellences de St. Joseph en octavo en 1627.*

Errorem hìc manifestum nemo non agnoscet in numeris mensis & anni, quo in librariorum ordinem cooptatus dicitur, sibi invicem repugnantibus. Præterea, si natus sit anno 1612, & excuderit 1627, artem exercere cœpit, cùm nondum annos 15 impleviſſet. Demum eum regii typographi titulo ornatum fuisse invenio sexennio ante ann^m 1635^m. scil. anno 1628°, quo Nicolai Bergier de publicis Romanorum viis historiam imprimebat. Interea dum de his, quæ dubia forsan fecerunt mendæ quædam typographicæ, aliquid certius habeam, id proferam in medium, quod veris rationibus ausim definire.

nuario;

nuario; eodémque anno idib. Mart. Salmaſii Plinianas in Solinum exercitationes, privilegio regis 5 Febr. dato & cum Hieronymo Drouart bibliopolâ etiam Pariſienſi communicato. Eundem quoque titulum huic præbet privilegium Atticis legibus ann. 1635. præfixum, anno 1634° 31 Decembris datum. At verò hunc neque in illius libri initio, neque in [a] diplomatibus aliorum librorum aut [b] initiis invenio.

Idem, quod Claudius pater, ſignum libris plerumque præpoſuit, fontem ſcilicet, aut [c] ſolum, aut [d] cinctum hôc pentametro,

Ἡ ζοφίας πηγὴ ἐν βιβλίοισι ῥέει.

Carolus dedit indubitata induſtriæ ſuæ argumenta, cùm intrà decenne ſpatium (præter alia plurima) tot eccleſiaſticorum ſcriptorum volumina emiſerit.

Anno 1629° Clementis Alexandrini opera Henrico Memmio dicavit motus [e] *ſingulari ſui erga* Memmium *parentis obſervantiâ, quem meminerat puer dicentem audiviſſe tot tantíſque ſe humanitatis officiis è manu* ipſius *liberaliter acceptis obſtrictum eſſe, ut iis ſatisfaciendo ſe ſuóſque prorſus impares fore palàm prædicaret. Ego verò* (ait Carolus) *cui per mortem ejus nobis ſingulis omníque propemodum*

[a] 1631. privileg. regis in eclog. Petit. chronolog. & privileg. facultat. theolog. in cenſur. propoſit. [b] Sam. Petit. miſcell. 1630. [c] Turturet. parallel. 1629. [d] Salmaſ. Plinian. exercit. 1629. Sam. Petit. leg. Attic. 1635. [e] Lege epiſtol. dedicat.

rei

rei literariæ præmaturam omnia artis typographicæ munia, cæteráque amicitiæ fideíque jura tanquam ſucceſſori commiſſa ſunt, officio meo deeſſe nolui.

Anno 1630° Gregorium Nazianzenum Claudii antea & Federici juncto labore editum (excitabat enim & pater & avunculus; illius nempe defuncti memoria, hujus in vivis adhuc ſuperſtitis præſentia) recudit. Eodem etiam, OEcumenii partem priorem (*[a] emendatore & prælectore hujus editionis Federico Morello regiorum in academiâ Pariſienſi profeſſorum decano*), proximo poſteriorem protulit.

Anno 1631° [b] Cyrillus Hieroſolymitanus, Theophylactus (quos Carolo Albaſpinæo nuncupavit) & Syneſius typis illius expreſſi in manus eruditorum venerunt. [c] Petavius Syneſii editor lectorem monet ſe *ad ea, quæ dudum ad Federicum Morellum optimum atque eruditiſſimum virum præmiſerat, novam epiſtolarum ac libri de inſomniis interpretationem adjeciſſe.* —— *& factam eſſe ſibi copiam unius MSti antiquiſſimi, quem ab eruditiſſimo Morello utendum acceperat, in quo epiſtolæ & καλαςάσεις quædam erant.*

In Theophylacto præmiſsâ ad ſacrarum literarum ſtudioſos epiſtolâ hæc leguntur. —— *Planè hoc beneficium, quantumcunque eſt, quod certè maximum eſt, Morellorum virtuti debetur. Viri quippe benignitate inſignes, ad reipublicæ utilitatem & commoda nati, veterum conſuetudinem ſervant: excitant bonas artes quovis ſumptu, quovis præmio; faciunt,*

[a] Lege titul. libri. Drouart nomen gerunt.
[b] Cyrilli quædam exemplaria Hieronymi
[c] Lege ejus epiſtol.

ut quæ veterum Græciæ patrum monumenta celebrantur, ex hâc ætate minimè desideremus. Itaque nostrum est, ut eis non modò pro Theophylacto, quem habemus, sed etiam eis quæ expectamus, & vitæ diuturnitatem, & quæ optima habemus in vitâ, à Deo precemur. Et in dedicatione Caroli Morelli —— *In hâc artium penè omnium recordatione jucundâ, optime dynasta, non minimam partem habet typographorum labor & officina, ea præsertim, quæ Morellorum nomen titulis suis præfert insignitum. Illa enim etsi post immaturam mortem parentis mei habuit ob luctum, unde aliquid de suo labore remitteret; ego tamen, cui hæreditario quodam & πατροπαραδότῳ jure commendabilis semper erit utilitas publica, in nullo unquam relangui. Testes sunt infinita propemodum Græcorum patrum volumina, quæ à doctissimis majoribus meis aliisque è squalore situque veterno revocata typis edidi, in lucémque propalavi. Ecce tibi recèns è prælo nunc primùm editus magnæ vir auctoritatis & doctrinæ Theophylactus* ——

Anno 1633° sancti Chrysostomi operibus antea à patre Claudio inceptis auspicatum finem imposuit, eáque sub cardinalis ducis Richelæi nomine sex voluminibus publicavit; & in epistolâ ad lectorem de suâ editione sic habet —— *Quoniam autem rerum magnarum tarda sunt molimina, non unis operis simul & semel omnia hujus aurei scriptoris opera in lucem venerunt: de Parisiensi editione loquor, quæ ante aliquot annos à parente meo Morello τῷ μακαρίτῃ inchoata stetit in umbilico; hoc est, omnes explanationes in libros integros & tractatus varios veteris*

teris teſtamenti —— commentaria duntaxat in evangelium Matthæi & Johannis & Acta Apoſtolorum & omnes Pauli epiſtolas reliquerat; quorum editionem in præſens molitus ad finem Deo dante perduxi. Poſtea autem anno 1636° reliqua Chryſoſtomi opera ſuis etiam typis abſolvit.

Anno eodem ad prælum revocavit Juſtini Martyris, Athenagoræ, Theophili Antiocheni, Tatiani, & Hermiæ opera, quæ priùs Claudii typis 1615 edita Federicus Matthæo Moleo nuncupaverat. Eodem hôc anno, ex Caroli officinâ prodierunt operâ & ſtudio Severini Binii novem tomis concilia generalia & provincialia Græca & Latina. His Carolus præmiſit epiſtolam ad lectorem 4 id. Jul. 1635. datam; quam, cùm multa diſſeruerit de præcedentibus conciliorum editionibus, Creſconianâ, Vaticanâ, præſertim Colonienſi, ſic claudit: *Quare hoc unum ſupereſt, ut quâ grati animi ſignificatione & in utilitatem publicam propenſione eſſe me ſemper teſtatus ſum, eundem te erga eos oſtendas, qui in id unum incumbunt, ut publico, quantum in ipſis eſt, ſerviant; nec ullâ in re laborem detrectant, ſi modò rei literariæ emolumenti capiendi ſpes aliqua affulgeat. Hôc interea palmario, citra vaniloquium, gaudebo; tu tuo feliciter utere, qui legis; conatûſque meos eâ benevolentiâ ſuſcipias, quo animi candore & ſinceritate à me profecti publico commodo velificantur.*

Anno 1631° 9 Dec. codicillos obtinuit ſocietas typographica librorum officii eccleſiaſtici, juſſu regis conſtituta; in quam cooptati fuerunt Claudius

Chapelet, Michaël Sonnius, Robertus Foüet, Johannes Sonnius, Sebaſtianus Cramoiſy, Antonius Vitray, Sebaſtianus Chapelet, Claudius Cramoiſy, Claudius Sonnius, Gabriel Cramoiſy, Carolus Morellus, Vidua Nicolai Buon, Gulielmus le Bé, Stephanus Richer, Euſtathius Foucault, Vidua Meiat, Dionyſius de la Noüe, & Vidua de Varennes. Horum impenſis & ſumptibus prodierunt [a] Franciſci Rivolæ dictionarium Armeno-Latinum, [b] doctrina chriſtiana Græco vulgari idiomate & Latino excuſa, & [c] linguæ Græcæ vulgaris auctore Simone Portio grammatica.

Librum ſub Caroli Morelli nomine non vidi ultra ann. [d] 1639. [e] Is demum Ægidio fratri, quem ſibi aliquando ſocium adſciverat, typographêo & omni ſupellectile librariâ cedens, & regis ſecretarius factus, in aulam migravit.

[a] 1633. [b] Eod. [c] 1638. [d] David. Humii poëmat. [e] Le Caillie; pag. 271.

VITA

VITA

ÆGIDII MORELLI.

ÆGidius Morellus [a] Claudii filius Caroli frater typographicam exercere cœpit anno 1637°, quo Ovidii Metamorphoſes Farnabii notis illuſtratæ ex ejus prælo prodierunt. Fonte, inſigni ſuæ familiæ typographico uſus eſt. [b] Fratri Carolo ſucceſſit in regiâ typographiâ, artíque per ſeptennium navavit operam; & illud, breve quantumvis, temporis intervallum neſcio an quiſquam alius typographus meliùs impenderit aut impleverit.

Multos licèt numero authores non excuderit, ſi tamen authorum dignitatem & magna eorum volumina penſitemus, non erit, cur de paucitate con-

[a] Pag. 147. [b] Caille. p. 294. Gilles Morel fût pourveu de la charge d'imprimeur ordinaire du roy en la place de Charles Morel ſon frere le deux-huitiéme Septembre 1639. ——— Il fût receu imprimeur & libraire le dix-neufiéme Avril de l'année 1640.

queramur.

queramur. Inter prophanos (en unum inſtar multitudinis) Ariſtotelem philoſophorum principem limâ ſuâ typographicâ rurſus perpolivit: ſi verò in ſacros ſcriptores intendamus oculos, & tempus labore metiamur, nulla omnino poterit cum hôc illius haberi proportio.

Morellorum familia hoc munus, quaſi ſibi proprium, ſuſcepiſſe viſa eſt, ut edendis ſanctorum patrum operibus ſuum prælum vacaret: quâ certè causâ non ſolùm theologorum, ſed & quotquot Chriſti nomine gaudent, omnium gratias immortales meruerunt. Ægidius quoque laudum, quibus ſui antea majores inclaruerant, & ipſe vehementer inhiabat, veſtigiis inſiſtens, [a] Iſidorum Peluſiotam, [b] Gregorium Nyſſenum, & (ut uno labore cunctos, qui ſibi præiverant, vinceret) magnam patrum & ſcriptorum eccleſiaſticorum bibliothecam emiſit.

Ingenti hôc labore cùm defunctus fuiſſet, inſtrumentis omnibus typographicis Simeoni Piget (quem aliquando [c] ſocium habuerat) venditis, à literis ad legem tranſiens inter [d] conſcriptos curiæ comitatûs aſſeclas locum obtinuit.

[a] Ægid. Morel. *in ſuâ ad Petrum Seguier Franciæ cancellarium epiſtol.* ——— nihil eruditis ——— acceptius fore judicavi, quàm ſi magnam patrum & ſcriptorum eccleſiaſticorum bibliothecam typis mandarem ——— hujuſce laboris primitias tibi dico ——— Iſidorum Peluſiotam, quem idcirco primum omnium prodire volui, quòd eum authorem præ cæteris maximè ab omnibus expeti cognoverim. [b] Hunc antea ann. 1615. ſuis typis excuſum Claudius Morellus Federico Borromæo cardinali dedicavit, eum rogans, ut Nyſſenum in locupletiſſimæ bibliothecæ ſuæ potiori parte collocet. *Sic utique* (ait, ad ejus nomen, *Federicum*, alludens) *magne Federice, fœdus Muſarum caſtarum inviolabile ſervans &c.* De hâc alluſione vide priùs pag. 89, 90. [c] Sam. Petit. obſervat. 1642. [d] Caille. p. 294. Il ſe fit recevoir conſeiller au grand conſeil.

Neſcio,

Neſcio, an Morellorum, de quibus ſcripſi, familiæ adnumerare debeam Baltaſarem Morellum; qui anno 1580° typis ſuis edidit Pariſiis Johannis à Roberteriâ Turonenſis topicôn juris libros quatuor; & ejuſdem diſputationum juris libros quatuor in libros inſtitutionum imperialium 8°. & 1590° Jacobi Severtii orb. catoptric. in fol°.

Caſu præterea incidi in Stephanum Morellum filium Claudii Morelli, qui an cum ſupradictorum altero idem ſit, dubito.

Les memoires hiſtoriques de la republique Sequanoiſe & des princes de la Franche comté de Bourgogne; par Loys Gollut advocat au parliament de Paris. fol. à Dole, par Ant. Dominique pour le dict ſieur Gollut. MDXCII.

Domino Ludovico Gollusio Claudii Morelli Vallefinii carmen.

PRogenies Burgunda diu confuſa tenebris
Pluſquam Cimmeriis regia delituit.
Romanos rerum dominos OEnotria cantat,
Gallica Burgundos deſpicit hiſtoria.
Doctrinis variis ſcribens Germania gaudet,
Spernitur Hiſpano res aliena ſtylo.
Quiſque ſuos laudat, reliquorum nomina ſpernens;
Noſtrorum regum ſic bene geſta latent.
Affluit his tandem prudens Golluſius unus,
Regia Burgundis nomina reſtituens.

Aliud ejuſdem.

Auſtria Burgundis ſoboles confuſa fit una,
Regibus Heſperiis laus & origo manens.

Oculus vitæ ſapientia.

Ad

Ad eundem, Stephani Morelli Cl. Fil. Diſtichon.

Continet antiquos Burgundæ ſtirpis honores,
Sequana catholici principis hiſtoria.
Morus ſapiens.

Vidi librum, quem forſan excudit Ægidius Morellus, hôc titulo: *Catalogus librorum, qui reperiuntur in officinâ Simeonis Piget bibliopolæ Pariſienſis.* 4to. ex officinâ Morellianâ ſumptibus Simeonis Piget. MDCXLVI.

Sic latè viguit Morellorum nomen: quorum typographêum ab anno 1557 ad 1646 celebratum utramque illuſtravit centuriam; diutiúſque quàm ullum aliud, ſi Stephanos excipias, literariæ reipublicæ operam ſuam indefeſſam conſecravit.

TYPOGRAPHORUM

INTER

PARISIENSES

CELEBRIORUM

LIBRI.

TOMUS SECUNDUS.

POST vitas typographorum exactas ſupereſt, ut libros ab illis excuſos enumerem. Quod quò fiat commodius & curioſo lectori utilius, duos catalogos contexam. Prior typographorum & annorum ſeriem, poſterior ſingularum ſcientiarum & artium ordinem ſervabit. Plurimorum, qui recenſebuntur, librorum teſtis oculatus fui: alios unde acceperim, lectori indicabunt notæ quædam mox explicandæ.

Notæ.	Explicatio Notarum.
Alb.	Albini bibliotheca. 8. *Dord.* 1696
Big.	Bigotiana. 8. *Paris.* 1706
Bult.	Bultelliana. 8. *Paris.* 1711
Cab.	Ludov. Jacob de Scriptorib. Cabilon. 4. *Paris.* 1652
Caill.	Imprimerie de la Caille. 4. *Paris.* 1689
Chesn.	Bibliotheq. des Auteurs de l'hiſtoire de France par du Cheſne. 8. *Paris.* 1627
Chev.	Imprimerie de Chevill. 4. *Paris.* 1694
Cor.	Cordeſiana biblioth. 4. *Paris.* 1643
Croix.	Bibliotheq. de la Croix du Maine. fol. *Paris.* 1584
Fabr. Lat.	Fabricii Latina. 8. *Hamb.* 1712
Fabr. Lat. ſup.	Ejuſd. ſupplem. 8. *Hamb.* 1712
Fabr. Gr.	Ejuſd. Græca. 4. *Hamb.* ann.var.
Hein.	Nicol. Heinſii. 8. *L. Bat.*
Lugd.	Lugduno-Batav. 4. *L. Bat.* 1640
Marc.	Marckiana 8. *Hag. Com.* 1712
Tell.	Telleriana. fol. *Paris.* 1693
Thuan.	Thuana. 8. *Hamb.* 1704
V. And.	Belgica per Val. Andr. 4. *Lovan.* 1643
Verd.	Bibliotheq. du Verdier. fol. *Lyon.* 1585
Wit.	Wittiana. 8. *Dordrac.* 1701

Numeri notis nonnullis adjecti, quota ſit pars bibliothecæ, cujus mentio fit, oſtendunt.

LIBRORUM
A'
TYPOGRAPHIS
INTER
PARISIENSES
CELEBRIORIBUS
EXCUSORUM
CATALOGUS:
JUXTA
TYPOGRAPHORUM & ANNORUM
Seriem diſpoſitus.

TOMI SECUNDI PARS PRIOR.

CATALOGUS LIBRORUM, QUI EX *Simonis Colinæi* Officinâ prodierunt.

JOhan. [a] Montholon. Promptuarium Juris. 2 Vol. fol. 1520
Galen. de locor. affectorum notitiâ, Gulielm. Copo interpr. fol. 1520
Clictov. de doctrinâ moriendi. 4. 1520
de verâ nobilitate. 4. 1520
de vitâ & moribus ſacerdotum. 4. 1520

[a] Hic liber prodiit quidem ex Henrici Stephani officinâ, ſed impenſis Simonis Colinæi, uti conſtat ex privilegio à Franciſco rege anno 1520° 2° Octobris ei conceſſo.

Nicol. Aſclepii Barbati epigrammatum libri duo. 8. 1520

[a] Ariſtotel. Logica cum comment. Jacobi Fabri Stapulenſis. 1520

[b] Elucidatorium Eccleſiaſticum Clictovei. fol. 1521

Totius Philoſophiæ naturalis Paraphraſes Jacobi Fabri, cum ſchol. Clictovei; & introduct. ad Metaphyſic. fol. 1521

[c] Jacobi Fabri Comment. in quatuor Evangelia. fol. 1521

Boëtii Arithmetica duobus diſcreta libris adjecto commentario myſticam numerorum applicationem perſtringente, à Giraldo Rufo edita. fol. 1521

[d] Herm. Buſchii Paſiphili Decimationum Plautinarum pemptades ſive quinariæ. 4. 1521

[e] Nov. Teſtam. Latin. 1522

[f] Ariſtotel. Moral. cum comment. Clictov. fol. 1522

[g] Philip. Melanchthonis Dialectica. 8. 1522

Pſalterium, Latiné. 12. 1523

Lamberti Campeſtri Apologia in Luther. 4. 1523

Heptacolon in Lutherum. 4. 1523

Jacob. Bergomenſ. & alior. ſcripta de claris mulierib. editore Raviſ. Textor. fol. 1521

Luc. Joan. Scoppæ collectanea in diverſos authores. 4. 1521

[a] Chev. p. 141. ex officinâ Henrici Stephani & ſucceſſoris ejus Simonis Colinæi. [b] Abſolutum & ſecundò emiſſum eſt in Henrici Stephani & ejus ſucceſſoris Simonis Colinæi officinâ è regione ſcholæ decretorum, April. ultim. [c] Caill. p. 92. [d] Tell. p. 104. [e] Vide prius pag. 13. [f] Chev. p. 323. [g] Cor. p. 418.

Laur.

Laur. Vall. hiſtoria Ferdinandi Regis Aragon. editore Petro Gillio Albienſi. 4. 1521
Alcabitii Iſagoge ad magiſterium judiciorum Aſtrorum cum comment. Joh. Saxon. 4. 1521
Auguſt. Ricii opus de motu octav. ſphær. 4. 1521
Idiot. de Statu Religioſorum. 8. 1521
Clictov. de Veneratione Sanctorum. 4. 1523
de Bello & Pace. 4. 1523
Galen. de Different. febrium, Laurentio Laurentiano interpr. fol. 1523
de Temperamentis, Tho. Linacro interpr. fol. 1523
Salluſtius. 8. 1523
Eraſm. de conſcribend. Epiſtolis. 8. 1523
Adagior. Epitome. 8. 1523
Parabolæ ſive ſimilia. 8. 1523
de octo orationis partium conſtruct. 8. 1523
breviores aliquot Epiſtolæ. 8. 1524
Solomon. Proverb. Eccleſ. Cant. Sapient. Eccleſiaſtic. Latiné. 12. 1524
Libri Prophetarum & Machabæorum. 12. 1524
Ariſtotel. de Animal. Theodoro Gazâ & Petro Alcyonio interpretib. fol. 1524
Ariſtotel. & Alex. Aphrod. Problem. Th. Gaz. interpr. fol. 1524
Cicer. Rhetoric. & de Invent. 8. 1524
Jodoci Badii Epitom. in Elegant. Vall. 4. 1524
Pentateuch. Joſ. Judic. Ruth. Latiné. 12. 1525
Nov. Teſtament. Latiné. 12. 1525
Cicer. Oration. Vol. 1m. 2m. 3m. 12. 1525
Bellum per Eraſmum. 8. 1525

Libri Reg. Paralipom. Ezr. Tob. Judith. Eſth. Job. Latiné. 12. 1526

Libri Prophetarum & Machabæorum. Latiné. 12. 1526

Clictov. propugnacul. Eccleſiæ adversùs Lutheranos. fol. 1526

[a] de Sacramento Euchariſtiæ contra OEcolampadium. 4. 1526

Ariſtotel. Politic. & OEconom. cum Comment. & explanat. Leon. Aretini. fol. 1526

Joan. Fernelii Monaloſphærium. fol. 1526

Franc. Sarzoſi Cellani libri duo in æquatorem planetarum. fol. 1526

Virgilius. 8. 1526

Hermogen. ad Oratoriam Artem præexercitamenta ductu & inverſione Priſciani. 8. 1526

Eraſm. de ratione ſtud. Offic. diſcipul. Qui primò legendi libri. Concio de Jeſu. [b] Expoſtulatio. Carmina Scholaria. 8. 1526

Comment. in Nucem Ovid. & duos hymnos Prudent. 8. 1526

Colloquia. 12. 1526

de conſtruct. octo part. orationis. 8. 1527

Pentateuch. Joſ. Judic. Ruth. Latiné. 12. 1527

Solomon. Proverb. Eccleſ. Cantic. Sapient. Eccleſiaſtic. Latiné. 12. 1527

Valer. Maxim. 8. 1527

Suetonius. 8. 1527

Valer. Prob. de ſcripturis antiquis. 8. 1527

Laurent. Vall. Elegant. 4. 1527

[a] Cor. p. 59. & Tell. p. 64. [b] Cor. p. 530.

Joan.

Joan. Lodov. Viv. introduct. ad ſapient. 8. 1527
Liber Pſalmorum, Latiné. 12. 1528
Themiſt. Euphrad. in libros 15 Ariſtotel. Latinè Hermolao Barbaro interprete: Alex. Aphrodiſ. commentarii in libros de animâ Latinè, Hieron. Donato interprete. fol. 1528
Joan. Fernelii Coſmotheoria. fol. 1528
Sophoclis Tragœdiæ, Græcé. 8. 1528
Herodoti de genere vitâque Homeri libellus à Conrado Heresbachio Latinitate donatus. 8. 1528
[a] Græca Theodori Gazæ traductio in Ciceronis de Senectute dialogum: ejuſdem verſio in ſomnium Scipionis. 8. 1528
Horatius. 8. 1528
Juvenalis & Perſius. 8. 1528
Lucanus. 8. 1528
Martialis. 8. 1528
Salmon. Macrin. Carmin. 8. 1528
Eraſm. de rectâ pronuntiatione Latini Græcíque Sermonis; & Ciceronianus. 8. 1528
Vall. Elegant. Adeps per Bonum Accurſium collectus. 8. 1528
Hadrian. Cardinal. de Sermone Latino; Venatio; & iter Jul. II. 8. 1528
[b] Almanach de B. le Sourt pour l'an biſſextil 1528. 1528
Galen. de morbor. differentiis & cauſis, Lat. Leoniceno interprete. 8. 1528

[a] Hic liber ad meas manus pervenit, poſtquam ea, quæ ſuprà pag. 12. lin. 1. leguntur, excuſa eſſent. [b] Croix.

de

de uſu partium corporis humani, Latinè Nicolao Regio Calabro interprete. 4. 1528

de ſemine, Lat. Jo. Guinterio Andernaco interpr. 8. 1528

medicus, & de ſectis, Lat. eodem interprete. 8. 1528

purgatio per medicamenta; & de motu muſculorum, Latiné. Nic. Leon. interpr. 8. 1528

de pulſuum uſu; & Æginet. de diebus criticis, Lat. Thom. Linacro interprete. 8. 1528

de dieb. decretoriis, & morborum temporib. Lat. 8. 1529

Libri Reg. Paralipom. Eſdr. Tob. Judith. Eſth. Job. Latiné. 12. 1529

Nov. Teſtam. Latiné. 12. 1529

Decreta concilii Senonenſis. fol. 1529

Clictov. compendium veritatum contra Lutheranos. fol. 1529

[a] Stylus Eccleſiaſticæ Juriſdictionis Archiepiſcopi Bituricenſis. 8. 1529

Varron. de Ling. Latin. & Analog. 8. 1529

Cicer. Rhetoric. & de Invention. 8. 1529

de Oratore. 8. 1529

Rodolph. Agricol. de Inventione Dialecticâ libri tres, cum ſchol. Jo. Matthæi Phryſſemii. 4. 1529

[a] Tell. p. 196.

Herodian.

Herodian. hiſtor. libri 8. Lat. Politiano interprete. 8. 1529
Ovidii opera. 3 vol. 8. 1529
Catull. Tibull. Propert. 8. 1529
[a] Hieron. Vidæ Scachorum ludus. Anton. Thyleſii Araneola. 8. 1529
Eraſmi Parabolæ. 8. 1529
Pentateuch. Joſ. Judic. Ruth. Latiné. 12 1530
Ariſtotel. Parva Naturalia Latinè, Nicol. Leonic. interpr. Et Nicol. Leonic. opuſcul. & dialogi. fol. 1530
Galen. methodus medendi Lat. Thom. Linacr. interpr. fol. 1530
de compoſitione medicam. Lat. Jo. Guinter. interpr. fol. 1530
de criſibus Lat. Nicol. Leonic. interprete. fol. 1530
de alimentorum facultatibus Lat. Joach. Martinio interprete. 4. 1530
Veterinar. Medic. Latinè, Joan. Ruellio interpr. fol. 1530
[b] Procli Lycii explicatio Platonis ex Timæo, Latinè, interprete Nic. Leonic. fol. 1530
[c] Plutarchi Apophthegmata Raphaële Regio interprete. 8. 1530
Juſtin. Hiſtor. & Sext. Aurel. Epitom. 8. 1530
Statius cum Orthographiâ diction. Græcar. 8. 1530
Claudianus. 8. 1530
Feneſtell. & Pompon. Læt. de Rom. Magiſtrat. & Sacerdot. 8. 1530

[a] Cor. p. 521. [b] Thuan. 1. p. 5. [c] Cor. p 513.

Salmon.

Salmon. Macrin. Carminum libri 4. 8. 1530
Strozii poëtæ pater & filius. 1530
Laur. Vallæ de Dialecticâ libri tres. 4. 1530
Eraſm. de conſcribendis Epiſtolis. 8. 1530
[a] Epitaphia ſeptem de Amorum aliquot paſſionibus, authore Geoff. Tory. 8. 1530
Libri Prophetarum. Latiné. 12. 1531
Machabæorum libri duo. Latiné. 12. 1531
[b] Ariſtotelis tota Naturalis Philoſophia, cum paraphraſi & annotationibus Fanc. Vatabli. fol. 1531
Galeni comment. in Hippocrat. de victûs ratione in morbis acutis, Latinè, Joanne Vaſſeo Meldenſi interprete. fol. 1531
Galen. de Anatomicis adminiſtrationibus, Latinè; Jo. Guinterio interprete. [*] fol. 1531
Galen. de Theriac. Lat. Jo. Guinter. interprete. 4. 1531
[c] Textus de Sphærâ Joan. de Sacr. Boſc. cum compoſitione annuli Aſtronomici, & Geometriâ Euclid. fol. 1531
Diodor. Sicul. 6 libri prior. Lat. Poggio interprete. 8. 1531
De Vit. & Morib. Imperator. Rom. ex Sext. Aur. Victor. 8. 1531
Eutrop. & Paul. Diacon. de geſtis Roman. 8. 1531
Virgilius. 12. 1531
Horatius. 12. 1531
Valer. Maxim. 8. 1531

[a] Caill. p. 98. [b] Thuan. 2. p. 10. [c] Marc. p. 59.

Teren-

Terentian. Maur. cum Nic. Briſſæi Montivallarii comment. 4. 1531
Sil. Italic. 8. 1531
[a] Epitome Rhetoricæ ex Quintiliano per Jonam Philologum. 8. 1531
[b] Nicolai Bartholomæi Ennoëæ. 8. 1531
Nov. Teſtam. Latiné. 12. 1532
[c] Protomatheſis Orontii Finei. fol. 1532
Paul Æginet. Lat. Jo. Guinter. interprete. fol. 1532
Cicer. Oration. Vol. 2m 8. 1532
Vol. 3m 8. 1532
Epiſtol. ad Attic. Quint. & Brut. 8. 1532
Galeni opera de pulſibus Latinè; Hermanno Cruſerio Campenſi interprete. fol. 1532
Decret. Concil. Sennoenſ. fol. 1532
Livii Conciones cum not. Joach. Perionii. 8. 1532
Valer. Flacc. 8. 1532
Laur. Vall. Elegant. cum Epitom. Badii. 4. 1532
